UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De scholasticæ Theologiae Vanitate, qua superioris ætatis homines, doctrinam & religionem suam tueba[n]tur, Liber, in locos communes digestus. Omnibus ueræ ac solidæ pietatis studiosis in primis ...

Sarcerius, Erasmus

Francoforti, 1541

VD16 S 1775

urn:nbn:de:hbz:466:1-29838

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 970.

B.I.45.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE DOCTRINA SCHOLASTICA, LOCI COMMVNES.

DE DEO IN GENERE, & sic etiam de Deo Patre.

Cultus & inuocatio Dei possunt cum dubitatione existere.

Deus remittit quidem culpam, sed non pœnam, pro qua satisfaciendum est.

Coram Deo prerogatiua hominum est, Græcis προσωπολημψία dicta, nec ueritati consentaneum est, nos coram Deo esse æquales.

Deus pro iustitia, & curat, & requirit nostra opera.

Essentia nec generat, nec generatur.

Deum esse non est notum per se, sed est primum inter omnia credibilia.

Fieri conueuit Deo, non autem mutari.

Deus est in se, sicut amatum in amante.

Essentia Dei, secundum intellectum est prior suo esse.

Deus est forma.

Anima adtribuitur Deo, secundum similitudinem actus.

Intellectus dei non est aliud, quàm uoluntas eius.

Deus intelligit tantum in actu, non in potentia.

Deus per ideam cognoscit omnes conditiones particulares rerum.

Per ideas Deus habet practicam & speculatiuam cognitionem de rebus.

Deus sciuit aliqua, quæ nescit.

Deus potest scire, quod nescit, diuisim, non coniunctim.

Omnes beati etiam in hac uita, uident essentiam Dei.

Voluntas Dei est sua essentia.

Idea dicitur Deus, secundũ actum prouidendi: uerbum, secundum actum proponendi: ars secundum actum prosequendi: ratio, secundum actum perficiendi.

In Deo nihil est realiter, nisi essentia, relatio & persona; ex essentia & relatione constituta: & constitutum ex essentia & spiratione actiua, & hęc omnia identificantur essentiæ &c.

Deus prout est subiectum, accipitur aggregatiuè, ut est primum subiectum theologiæ. Et Deus sub ratione deitatis est primum subiectum theologiæ perfectione respectu creaturarum, sed respectu personarum etiam est aliqua prioritate primum.

Deus in nullo genere prędicamentali est, licet terminus Deus in prædicamento sit.

Deus ut est res & non terminus, nihil operatur necessariò ad extra.

In

In Deo dicuntur omnia esse obiectiuè uirtualiter, & eminenter.

Deus iustus iudex, iustè remunerat, nullum ergo bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum relinquit, quare Deus remunerat secundum merita cuiusq;

Statuit deus nullum damnare pœna sensus, nisi pro culpa personali, nec adultum saluare regulariter sine merito personali.

Deus concurrit ad opera meritoria, quæ liberè uult elicere.

Quinque sunt motiones in Deo, uidelicet paternitas, filiatio, processio, innascibilitas, communis spiratio.

Ideæ rerum & exemplar & rationes sic in Deo sunt, quòd idea importat causam efficientem, conformem effectum, scilicet exemplar causam formalem. Ratio uerò causam finalem.

Anima multipliciter est in Deo, scilicet sicut ramus in arbore, apis in flore, nauis in littore, sponsus in thalamo, thesaurus in agro, scriptura in libro, obsessus in castro, auicula in nido, piscis in riuo, quælibet res in sibi proprio, uel ui propria, stella in firmamento, imago in speculo, cera in sigillo, gemma in auro, & mel in fauo.

In quantum ſapentia Dei cognoſcitiua eſt poſſibilium, dicitur Deus ſcientia uel cognitio. In quantum eſt cognoſcitiua futurorum, dicitur præuiſio. In quantum cognoſcitiua omnium, dicitur uiſio. In quantum eſt cognoſcitiua eorum, quæ ab ipſo Deo facienda ſunt, dicitur diſpoſitio. In quantum eſt cognoſcitiua præmiandorum, dicitur prædeſtinatio. In quantum eſt cognoſcitiua damnatorum, dicitur reprobatio.

Per duplex medium dicitur Deus malum cognoſcere.

Per eſſentiam propriam cognoſcit habitum appoſitum maliciæ, & illo habitu mediante, ut eſt in ipſo Deo cognoſcente, cognoſcit eius defectum.

Moyſes & S. Paulus uiderunt in hac uita eſſentiam Dei ſine lumine gloriæ.

Aliquid prædicatur de Deo per accidens.

Eadem eſt actio iuſtitiæ & proprietatis patris.

Deum eſſe non eſt per ſe notum, ſed eſt primum inter credibilia.

In Deo eſſe, & eſſentia ſunt idem.

Deus eſt in genere ſubſtantiæ reductiuæ, ut menſura & principium omnium rerũ, & ſicut punctus & unitas.

In diuinis non eſt indiuiduum.

Deus poteſt ſtudioſus praua agere.

Mala

Mala pertinent non tantum ad ſcientiam Dei practicam, ſed etiam ſpeculatiuam.

Videre Deum â facie ad faciem, eſt Deum immediate per eſſentiam uidere.

Potentia Dei non eſt actiua nec paſſiua, ſed eſt ſuperactiua.

Deus diſpenſare non poteſt, ut homini non liceat ſubdi ordini eius, etiam in his, ſecundum quæ homines ad inuicem ordinantur.

Deus poteſt reparare uirginitatẽ ſemel perditam.

Deus eſt cauſa peccati, quo ad ſubſtantiam actus.

Motio paternitatis in Deo patre eſt.

Actor in diuinis conuenit tantum patri.

DE DEO FILIO.

Chriſtus tantum pro originali peccato paſſus eſt.

Chriſtus tantum pro præteritis peccatis paſſus eſt.

Chriſtus in cœlo præſidet, Papa in terris, ut uicarius Chriſti.

Chriſtus tantum primam gratiam inclinantem ad diligendum Deum, & ad præſtandam ex nobis iuſtitiam pro peccatis, nobis meruit.

Christus præcipuus intercessor est apud patrem, sancti minus principaliter sunt intercessores.

Christus officia sua in cœlis exercet, & in terris reliquit Papæ eadem officia exercenda.

Christus superior propiciator est apud patrem, sancti inferiores propiciatores.

Meritum passionis Christi, est thesaurus Ecclesię, ex quo dentur indulgentiæ.

Supra. 22. b. Christus moriturus & mundum relicturus, instituit prælatos Ecclesiæ, uicarios suos, qui potestatem habent regiminis, & capita dicuntur, & sunt.

4. b. Christus saluator & redemptor noster est, item iustitia nostra, cuius passionis & meriti nos participes facere debemus per sacramenta & bona opera, quōd si quis ociosè existimat sine operibus bonis, & satisfactione se saluari, hic præsumit & peccat in Spiritum sanctum.

Christus sibi & nobis meruit.

Ad cultum Christi pertinet, portionem crucis Christi auro includere, circa Ecclesiam ferre, populo osculandum præbere.

Tunicam Christi Treueris spectandam prębere populo, est res utilis & salutaris.

Christus descendit ad limbum patrum.

Christus uenit ut populum peculiarem facęret, qualis fuit olim populus Israëliticus, ut

illi

illi imponeret leges, quarum impletione pertingeret ad iustitiam.

Impium est dicere, Christum omnem pœnam in nouo Testamento sustulisse.

Christus in triduo mortis suæ, non fuit uerè homo, & tunc potuit magis dici filius hominis, quàm homo.

In triduo mortis suæ, corpus Christi non fuit uiuum, nec animatum.

Christus sua passione satisfecit pro peccato originis, & instituit Missam, in qua fieret ablatio pro quotidianis delictis, mortalibus & uenialibus.

Christus ita meruit nobis primam gratiam, seu habitum inclinantem nos, ut facilius diligamus Deum, & seruemus præcepta eius, quod ante habitum illum, & post illum, actus uoluntatis eiusdem speciei sit.

Christus sua satisfactione tantum pro culpa satisfecit, non pro pœna aut æterna morte, pro qua nobis satisfaciendum est.

Christus durior est, sancti placabiliores: ergo hi primum quærendi sunt, ut parent nobis ad Christum accessum.

Anima Christi est instrumuntum diuinitatis.

Christus habuit temperantiam, non autem continentiam.

Meritum Christi operatur sufficienter salutem hominum, ut causa uniuersalis, tamen requiruntur alia merita, ut causæ particulares.

Vera animæ medicina, ante Christum non uenit in terram.

Christus tripliciter seipsum obtulit. Primum figuratè in agno Iudaico, & omnibus reliquis sacrificijs legis. Secundo sacramentaliter, instituendo sacramentum cœnę, quod sine dubio in sua benedictione obtulit. Tertio obtulit idempticè atq; realiter seipsum, tanquam uictimam in cruce.

Natura ista fuit unita hypostaticæ personæ diuinæ infinitæ dignitatis, igitur nullo modo potest æstimari magnitudo meriti Christi.

Quanquam satisfactio Christi pro peccatis totius mundi sufficiens est, tamen non operatur in omnibus æque efficaciter atq; potenter. Vnde rotundè dicunt Doctores: Passio Christi omnes redemit sufficienter, sed non omnes efficaciter, obstaculum est inde, quia non omnes uolunt se facere participes huius meriti.

Homo uarijs modis fit particeps meriti seu satisfactionis Christi. Sæpe ex pura præuenienté gratia, sicut S. Paulus, & sanctificati in utero matris suę. Secũdo fimus participes meriti & satisfactionis Christi per sacramẽta, quę suam uirtutem & efficaciã habent ex passione & morte Christi. Tertio fimus participes meriti

seu

ſeu ſatisfactionis Chriſti per bona opera, non quòd per ſe aliquid ſint, aut meritoria, ſed q̃ per gratiam Dei aliquid ſint, & meritoria.

Nec bona opera cum adſtante gratia, poſſunt ſatisfacere pro peccatis, quia peccata annexam habent externam pœnam, quam non poteſt purus homo tollere, unde nũc prodit uſus meriti Chriſti, qui eſt æternam pœnam in temporalẽ mutare, et ſatisfacere pro peccatis. Et huius gratia atq; præſidio poteſt homo ſatisfacere pro peccatis.

Merita Chriſti licet non ſola & formaliter et effectiuè, theſaurus ſunt indulgentiarum.

In anima Chriſti triplex ineſt cognitio. Cognitio, ſiue ſcientia rerum in uerbo, quæ eſt beatifica, & matutina dicitur: cõgnitio rerum infuſa, & cognitio rerum acquiſita. Vltimæ duæ dicuntur cognitiones rerum ueſpertinæ, ſiue rerum in proprio genere. Et quamuis quæcunque cognoſcit anima Chriſti in proprio genere, clarius cognoſcit in uerbo. Non tamen ideo cognitio rerum in proprio genere ſuperfluit, nam per hoc intellectus proficitur, cum ſua naturali operatione non priuatur.

Crux Chriſti adoranda eſt latria, ſiue picta, ſiue ſculpta, ſiue de quacunq; materia fabricata fuerit, idq; ſicut prototypus.

Sicut per figuram accipitur ſignum pro ſignato, nomen pro nominato, imago pro ima

ginato &c. ita & crux, pro illo, qui in cruce pependit.

Aliter crux Christi, aliter diua Maria adoratur, quia matri Christi debetur adoratio propria, cum ipsa sit rationis capax, unde cum diuam uirginem adoramus, eius beneuolentiam captamus & desideramus. Cum uerò crucem Christi adoramus, non intendimus placere cruci, sed crucifixo, ergo crux secundum eum modum est adoranda latria.

Alio modo sic possumus loqui de adoratione crucis Christi, quasi de ipso crucis ligno, in quo salus nostra pependit, non ut imago, sed ut tale lignum membris Christi in eo suspensis consecratum, & sic non est adoranda latria, sed hyperdulia, quia non pertinet ad personã uerbi, sicut pars eius, sed est res quædam eius, in qua salutem operatus est in medio terræ.

Cum crucem adoramus, ipsum Christũ adoramus, ita q̃ loco crucis intelligitur esse Christus, quasi concretum loco abstracti, ut ibi: O crux aue spes unica. Sensus est: O Christe crucifixe.

Quæstio. Cur asinũ Christi non adoremus? Respondent Scholastici, ut uitemus scandalũ, uel irrisionem infidelium aut simplicium.

Præputium & sanguis Christi, qui de corpore eius fluxit, in terris hic conseruantur, utrũq; enim in Ecclesia Lateranensi urbis Romæ cõtinetur

netur, & in die Paschæ populo adorandum ostenditur. Dominus resurgens si non reassumpsit totum sanguinem fusum, & quicquid fuit de ueritate humanæ naturæ, eadem adoratione adoranda sunt, qua humanitas Christi, non ut coniuncta uerbo. Nam præputium Christi si seruatur in terris, non est unitum diuinitati, quia nõ est actu pars corporis Christi, sed quod dam suppositum per se, sicut quælibet pars integritatis separata à toto, est per se suppositũ, non autem sunt plura suppositа uerbi.

Sanguis Christi uerus, qui remansit super terram post resurrectionem, non est adorãdus adoratione latriæ. Sanguis autem Christi in altari post consecrationem adorãdus est latria, eõ quód unitus est diuinitati, sicut corpus Christi. Verum sanguis Christi miraculosus, qui scilicet nunquam fuit unitus Christo, sed de nouo à Deo est creatus, ut Parisijs dicitur esse, qui effusus ab una hostia gladio, per quendam Iudeum uulnerata, talis inquam sanguis non est adorãdus, nec uenerandus tanta ueneratione, quanta sanguis, qui semel unitus est Christo.

Christus non habuit angelos custodes, sed ministros tantum.

In habentibus usum rationis non sufficit meritum Christi, sicut in nõ habentibus, qui merito redemptoris nostri saluantur, & non in pro

Pra 8.

proprio merito, sed necesse est, etiam addere meritum proprium, secundum illud: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Et iterum: Fides sine operibus mortua est.

Pro originali peccato solus Christus uerus Deus & homo satisfecit: pro actuali uerò peccato potest homo satisfacere.

Meritum passionis Christi sufficiēs fuit pro absolutione omnium pœnarum nostris peccatis debitarum. Voluit tamen ad bonum nostrum nos adultos per aliqua obsequia pœnalia fieri participes illius meriti.

Passio Christi non profuit in limbo, quia nō sunt in statu salutis.

Filio appropriatur sapientia, ne filius ratione iuuentutis credatur insipiens.

In filio est ratio exemplificandi, quia summè pulchrum.

Christus secundum quod homo est, scit omnia, quæ scit Deus pater, sed non ita lympida scientia, scilicet uisionis.

Sicut in Deitate una est essentia, & tres personæ, ita è conuerso in Christo una est persona, & tres essentiæ: deitas, anima, & caro.

Corpus Christi fuit formatum ex sanguine uirginis Mariæ, non ex carne.

Vnio animæ cum corpore facit hominem, quare Christus in illo triduo, quo iacuit in sepulchro, non fuit homo, licet anima & caro unita

tunc

tunc essent cum uerbo &c.

Anima Christi post mortem descendit ad infernum, siue ad limbum ad liberandos patres, &c.

Quando dicitur: Christus secundum quod homo est, est persona. Hæc propositio non est uera, sed dicendum est: Christus secundũ quod iste homo, est persona.

Natura humana in Christo est nobilior, q̃ in alijs.

Humanitas Christi fuit instrumentum diuinitatis eius,

Natura humana non totum comprehendit esse Christi, ideo in Christo non habet rationem speciei.

Anima Christi est instrumẽtum diuinitatis.

Quæ conueniunt personæ ratione naturæ, uel ratione partis, dicuntur de Christo, licet repugnent diuinæ naturæ.

Tota humanitas Christi secundum animam & corpus influit principaliter in animas, & secundariò in corpora.

Propriũ est Christi, esse caput Ecclesiæ, quo ad influxum interiorem, sed quõ ad influxum exteriorem, conuenit & Papæ participatiuè, particulariter, & uice Christi.

Gratia Christi triplex est, gratia unionis, gratia habitualis, & gratia capitis.

Gratia Christi habitualis, ut ens, potest dici finita.

Fides

Fides non fuit in Christo.

Christus non habuit spei uirtutem, licet speraverat aliqua sibi & alijs.

Meritum Christi operatur quidem sufficienter salutem hominum, ut causa magis uniuersalis, tamen requiruntur alia merita, ut causæ sine quibus non.

Scientia animæ Christi est nobilior secundũ quid, quàm anima eius, non aũt simpliciter.

Anima Christi potuit intelligere per scientiam inditam, conuertendo se ad phantasmata.

Anima Christi ad uisionem beatam indigebat habitu luminis gloriæ.

Scientia animæ Christi in uerbo parificatur uisioni Dei, quo ad numerum scibilium, non quo ad claritatem.

Christus nihil didicit ab homine, quia non conuenit dignitati Christi.

Christus uoluit aliud, quàm Deus, uoluntate sensualitatis.

In creaturis aliquid fuit potẽtius anima Christi. Monarchia cœpit in natiuitate Christi.

Deus posuit quatuor super humeros Christi, scilicet peccata, clauem sacerdotij, principatum & gloriam.

Christus si uoluisset, peccare potuisset.

Crux Christi propria, ut representans Christum, & ut tetigit Christum, & est perfusa sanguine eius, debet eadem adoratione latriẹ cum

Christo

Christo adorari, sed imago crucis eius, debet in alia materia adorari latria, ut imago Christi tãtum.

DE SPIRITVSANCTO.

Papa in hac terra executor est spiritussancti, ut declaret & glorificet Christum.

Erroneum est, spiritum sanctum post mortem Christi esse eius uicarium.

Ratio etiam sine spiritusancto, potest diligere Deum super omnia. Supra 26. a

Sacramenta conferunt spiritum sanctum ex opere operato, sine bono motu accipientis. Sup. 6.

Homines sine spiritusancto possunt diligere Deum, & præcepta Dei seruare, quo ad substantiam actuum, mereri gratiam ac iustificationem operibus, quæ per se efficit ratio sine spiritusancto. Infra 28. b. 29. a 30. a

Spiritussanctus dicitur uerissimè nexus patris & filij.

Pater & filius mutuò se diligendo producũt spiritum sanctum.

In dono datur spiritussanctus, dum gratiam gratis datã, siue gratiã gratũ facientẽ largitur.

Dona spiritussancti nõ dantur principaliter ad sanctificandum personam, neque ad eius utilitatem, sed ad utilitatem Ecclesiæ.

Spiritusancto appropriatur bonitas, ne spiritussanctus ratione impetuositatis credatur crudelis.

In

In ſpirituſancto eſt ratio faciendi, quia ſummè bonum & proficuum.

Nomen ſpirituſſancti Eccleſia inuenit.

Spirituſſanctus ponitur pro relatiuo, nõ ex nomine, ſed ex uſu Eccleſiæ:

Natura diuina ut uoluntas eſt principiũ ſpirituſſancti, non autem ex natura.

Sicut uoluntas artificis ſuperfertur materię quam uult formare, ita in Geneſi dicitur ſpirituſſanctus ſuper aquis ſuperferri.

Pater & filius uniuntur ſpiritu ſancto, qui unit eos formaliter, ſed non ſufficienter.

Pater & filius ſunt unum principium ſpirituſſancti.

Ratione articulationis pater & filius non cõceduntur communiter eſſe idem principium ſpirituſſancti, quia unitas includitur ſuppoſiti, licet quoq; concedendum ſit, quia nõ eſt ponenda unitas abſoluta, ſed reſpectu eius, cui additur.

Filius in pluribus conuenit cum patre, quàm cum ſpiritu ſancto.

Spirituſſanctus quandoq; intelligitur nomine Chriſti.

Spirituſſanctus operatur per filium ſecundum humanitatem.

Spirituſſanctus procedit à patre & filio, in quantum ſunt plures agentes, & in quantũ ſunt in ui ſpiratiua.

Spiri-

Spiritussanctus procedit per modum uolũtatis. Processio spiritussancti assimilatur processioni causati à causa, ut persona.

DE PRAEDESTINATIONE, necessitate, et cõtingentia.

Prædestinatio ex ratione & dignitate nostra commodè iudicari potest.

Prædestinationis aliqua causa in nobis est.

Dignitas & merita nostra prædestinationis causæ sunt, ad iustificationem & uitã æternã.

De prædestinatione non est agendum corã Ecclesia.

Prædestinatus potest damnari in sensu diuiso, sed non in composito.

Prædestinatio est necessaria necessitate consequentiæ, sed non consequentis.

Non omnia eueniunt iuxta diuinam prædestinationem.

Prædestinatio actiuè est Deus, passiuè est homo, qui prædestinatur.

Prædestinatio est ratio transmissionis creaturæ rationalis ad uitam æternam in mẽte Dei.

Prædestinatio importat Deum.

Prædestinatio ex parte Dei est æterna, quia quicquid est Deus, uel in Deo, est æternum, sed quantum ad id, quod importat, scilicet uitam æternam, uel collationem gratiæ, posset

dici temporalis.

Quicunq; prædestinatus est, contingenter prædestinatus est, & ita potuit non prædestinari, & per consequens potest damnari, & potest non saluari, quia saluatio dependet à uoluntate diuina contingenter causante.

Prædestinatis etiam ad uitam æternam, tamen hæc illis non contingit sine merito.

Deus non prędestinat hominem ad salutem, nisi per merita: nec reprobat, ut perueniat in damnationem sine meritis. Et ideo non solum est nostra salus ex parte Dei, sed ex parte nostra.

Prædestinatio infert necessitatem saluti, non infert necessitatem libero arbitrio, quoniam prædestinatio non est causa salutis, nisi includendo merita, & ita saluando liberum arbitrium. In potestate itaque hominis est, saluari & damnari.

Nullus est necessariō prędestinatus. Vnde Scholastica sententia: Si non es prædestinatus, fac ut prędestineris.

Prędestinatus potest damnari in sensu composito.

Libertas quædam à coactione est, quæ sic potest describi: Libertas à coactione est, qua quis non potest uiolentari ad faciendum aliquid, uel patiendum contra naturalem inclinationem

tionem, quomodo graue motum ſurſum uiolentatur. Iſta libertas etiam conuenit intellectui, quia licet aliqua cognitio poteſt cauſari in intellectu immediatè à Deo, ita ut illa non ſit elicita ab intellectu, nec in eius poteſtate, non tamen intellectus cogitur per illam intelligere, quia intelligere per quamcunque intellectionem, non eſt contra naturalem inclinationem intellectus. Et illa libertas non excludit neceſſitatem, quia in caſu intellectus neceſſariò intelligeret, non tamen coactè.

Eſt & libertas quædam immutabilitatis uel neceſſitatis, prout neceſſitas apponitur contingentiæ, eſt quædam indifferentia uel contingentia ad utrumq; appoſitarum, id eſt, facultas agendi, uel non agendi, patiendi, & non patiendi. Voluntas enim libera omnibus alijs modis eodem modo ſe habentibus, poteſt uelle & non uelle.

Libertas ſemper bona eſt, licet abuſus malus, non tamen libertas, ſiue potentia faciendi bonum aut malum, mala eſt, ſed bona, radix honoris & laudis humanæ.

Eſt autem quædam neceſſitas abſoluta, quædam ex ſuppoſitione. Neceſſitas abſoluta uel ſimpliciter dicta, eſt quando aliquid ſimpliciter eſt neceſſarium, ita quòd eius oppoſitum includit contradictionem. Et hæc eſt abſolutè neceſſaria, ut; Homo eſt uiſibilis, Deus

est &cæt. quia contradictio est, quòd hæ sint falsæ, & contradictoriæ ueræ. Necessitas ex suppositione, uel ex conditione est, quando aliqua conditionalis est necessaria, quamuis tã antecedens quàm consequens sit contingens. Sic hæc est necessaria: Si Petrus est prædestinatus, Petrus saluabitur, & tamen tam antecedens, quàm consequens est contingens. Et dicitur necessitas conditionata, id est, secundum quid, ut si homo non debeat debilitari, necesse est eum bene comedere. Et isto modo dici potest, quòd confirmatio ad salutem sit necessaria.

Est præterea adhuc multiplex necessitas. Est
1. enim necessitas uiolentiæ siue coactionis, quæ mouet contra naturam, ut lapis proiectus necessitatur sursum moueri &c. Necessitas uerò
2. coactionis est contra uoluntatem. Est necessi-
3. tas indigentiæ, ut cibi & potus in paupere. Est
4. quædam necessitas urgens, ut quum proximo
5 subueniendum est. Est quædam necessitas ine-
uitabilitatis, qualis est in morte & primis mo-
6 tibus. Est quædam necessitas exigentiæ, quæ
7 est in materia disponenda ad formam, uel disposita. Est quædam necessitas immutabilitatis æternæ, hæc sola cadit in Deum, & non in alia hac necessitate Deus pater necessariò gignit filium. Hæc autem necessitas non repugnat li-

ber

bertati uoluntatis, sed saltem uertibilitatis, qualis non est in Deo. Nec necessitas coactionis cadit in Deum.

Est q sædam ~~necessitas finis~~, ~~siue~~ conditiona ta, sic necessarium est ad finem, sine quo finis haberi non potest. Sic ~~merita sunt necessaria~~ ad ~~consequendam beatitudinem~~. Et hoc potest accipi secundum potentiam Dei ordinatam uel absolutam.

Deus dat gratiam facienti quod in se est, necessitate immutabilitatis, & ex suppositione, quia disposuit Deus dare immutabiliter gratiam facienti, quod in se est. Illa ergo ordinatione stante & suppositione, non potest non dare gratiam facienti quod in se est, quia tunc esset mutabilis.

Prædestinatum non potest non saluare Deus in sensu composito, quia impossibile est prædestinatum nõ saluari, quia potest non esse prędestinatus, cum prædestinatio cuiuscunque sit contingens. Sic omnis ordinatio Dei ad extra est contingens.

Gratia ponitur in definitione prædestinationis, non quia est de essentia eius, sed quia importat respectum ad gratiam.

Prædestinatio pertinet ad scientiam practicam, non speculatiuam.

Prædestinatio ex parte prædestinati aliquid importat.

Aliquid potest exire ab ordine diuinæ prouidentiæ, quantum ad id, quod intentum est, non autem ab ordine prædestinationis.

Prędestinatio est tantum consequentiũ gloriam, quia respicit exitum & euentum ordinis, sed prouidentia respicit ordinem tantum.

Prouidentia secundum rationem sui nominis, potest saluari in speculatione tantum, non autem prædestinatio.

Prædestinatio est tantum de bonis.

Reprobatio non est causa culpæ.

Prędestinatio est tantum entium aliquando.

Prædestinatio non est de gratijs gratis datis, nisi impropriè.

Prędestinatio iuuatũr precibus sanctorum, & suis & alijs bonis operibus.

Præscientia meritorum non est causa prędestinationis uniuersaliter, sed ex parte effectualiter.

Prędestinati non sunt certi de prędestinatione communiter, licet aliquibus ex speciali priuilegio reueletur, non tamen conuenit omnibus, ut reueletur.

Contingentia et necessitas sunt de transcendentibus.

Nihil est contingens, quod non habeat aliquid necessarium.

Potentialitas materiæ ad esse, uel non esse, non est sufficiens ratio contingentiæ.

Con-

Contingens ut contingens cognoscitur directè à sensu, sed indirectè ab intellectu.

Necessitas absoluta sumitur ex principijs essentialibus tripliciter. Primo respectu non esse ratione materię: uel respectu esse, ratione formæ immaterialis: uel respectu formæ cōplentis totam potentiam materiæ: Secundo respectu partium formæ, uel materię: Tertio respectu proprietatum.

Necessarium & contingens sunt differentiæ ueri, non autem boni.

DE ANGELIS BONIS.

Certę sunt hierarchiæ & prælaturę angelorum, ita ut quidam simpliciter angeli sint, quidam archangeli, quidam throni, quidam dominationes, quidam principatus, quidam potęstates, quidam cherubin, quidam Seraphin, quidam uirtutes &c.

Angeli simpliciter merentur nunc suam cōstantiam, & ne cadant.

Angeli à nobis adorari cupiunt.

Angeli adorationis cultu prosequendi sunt.

Non tantum electi, sed etiam reprobi habēt proprios angelos deputatos ad custodiam. Infra 19 a.

Sanctus Michaël patronus est à Deo constitutus super Romanam Ecclesiam, ut illam ab omni malo atque interitu custodiat.

Item diuo Michaëli à Deo in eundem finem assignatus est totus angelorum chorus. Hinc & Ordo sancti Michaëlis promanauit, in quẽ nemo recipitur, nisi qui iuramento confirmat se non pugnaturum contra Romanam Ecclesiam.

Post iudicium non erunt angeli in officio.

Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidissimum, immaculatum, incontaminatum, incoinquinatum, recipiens totam (si iustum est dicere) speciositatem boniformitatis, & deiformitatis, & purè declarans in seipso, sicut possibile est, bonitatem, quæ est in abditis.

Quæstio est apud Scholasticos, an angeli creati fuerint in gratia. Respondetur secundum quosdam, quòd creati fuerint in gratia gratũ faciente: secundum alios, quòd creati fuerint in puris naturalibus, & quod nõ habuerint gratiam ab instanti creationis.

Angeli non habuerunt gloriam in instanti creationis, ergo nec gratiam.

Angelorum moræ possunt poni uariæ, & primum tres. In prima mora creati fuerunt in gratia, & meruerunt: In secunda boni steterunt in merito, & mali ceciderunt: In tertia omnes fuerunt in termino.

Item

Item secundum alios poni possunt quatuor more. In prima fuerũt omnes in naturalibus. In secunda mali ceciderunt. In tertia bonis apposita est gratia, & meruerunt. In quarta boni præmiati & mali damnati sunt.

Alij moras angelorum sic numerant. In prima fuerunt omnes angeli in naturalibus. In secunda omnes in gratia. In tertia boni meruerunt stantes in gratia, & mali deliquerunt. In quarta omnes fuerunt in termino.

Actus quos habent angeli superiorum ordinum, respectu inferiorum sunt tres: purgare, illuminare, et perficere, qui dicuntur actus hierarchici, quia conueniunt superioribus hierarchijs respectu inferiorum. Angelus autem superior aliquid ignoratum inferiori notificans, illo uno actu notificandi prius incognitum inferiorem purgat, non quidem à fœditate peccati, sed ab ignorantia negationis illuminat noua cognitione, & noticia perficit actuandi eum ad cognita. Et differunt illi actus in connotato. Nam in subtracto supponunt pro eodem: scilicet inductionem scientiæ.

Purgare autem connotat præcedentis ignorantiæ remotionem. Illuminare obiecti manifestationem. Perficere subiecti eleuationem & meliorationem.

Angelorũ duplex est cognitio, scilicet matutina et uespertina. Cognitio matutina est cog-

nitio rerum in uerbo, quæ est beatifica. Cognitio uespertina est cognitio rerum in lumine naturæ.

Secundum alios est triplex angelorum cognitio. Vna qua cognoscit uerbum & se & creaturas sibi in uerbo relucentes, una indistincta cognitione in lumine gloriæ & beatificæ. Secunda qua cognoscit per species sibi concreatas Deum se & alia. Tertia qua cognoscit per species à rebus cognitis acceptas, hanc cognitionem uocant cognitionem rerũ in proprio genere. Vltimæ duæ cognitiones dicuntur uespertinę, prima sola matutina, quia ista est cognitio in creatore, qui est principium omnis creaturæ, sicut mane principium diei. Sequentes duę dicuntur uespertinę, quia his cognoscitur res in creatura, quæ de se tendit in occasum. Nec dicitur matutina uel uespertina per admixtionem tenebrarum ignorantiæ, sed ex causa dicta. Prima scilicet matutina est supernaturalis & beatifica. Secunda scilicet uespertina dicitur naturalis, licet medium non habet ex propria natura siue uigore sui intellectus, quia habet eam per species infusas à Deo.

Inferiores angeli à superioribus purgantur ab ignorantia, & illuminantur: ergo aliquid inferiores ignorant, quod superiores nouerunt. Et uidentes uerbum, tantum uident in uerbo, quantum eis uerbum ostendit, O-

stendit

ſtendit autem quantum uult. Eſt enim ſpeculum uoluntarium, quo ad creaturas extra, licet ſit neceſſarium, quo ad perſonas intrá.

Aliqui angeli à principio cognouerunt myſterium incarnationis, aliqui non cognouerũt à principio, ſed pòſt plenè cognorunt dum impletum fuit.

Mittuntur angeli tanquam mediatores inter Deum & hominem, ut per eos homo inferior ad beatitudinis ſumma reducatur.

Angelus loquẽdo alteri, nihil facit, niſi quod cauſat cogitationem alicuius obiecti in ſe, quę cogitatio in loquente cauſat tanquam obiectum, cauſat effectiue in angelo audiente noticiam intuitiuam ſuimet cogitationis.

Angelus audit & uidet, & tam audire quàm uidere, eſt in angelo intelligere. Sed tunc uidet eum, quando ex proprio motu intelligit aliquid, tunc audit, quando per oblationem ſpecieі intelligibilis ab eo intelligente excitatus, ipſum quod profertur, intelligit, & ſic cõpetit angelo, non ſolum reſpectu ſuperioris ſedentis reſpectu paris uel inferioris, quia ſic audit ſupremus angelus ab infimo, ſicut magiſter audire poteſt à diſcipulo, non quod ab eo ſuſcipiat doctrinam, ſiue illuminationem, ſed quia melius cognoſcit eius defectus per ſui ipſius detectionem.

Chriſtus

Christus non habuit angelos custodes, sed ministros tantum.

Sicut Christus non habuit angelos custodes, sed ministros, sic nec beata uirgo angelos custodes habuit (quia & ipsa fuit plena gratia) sed ministros.

Quemadmodum cuiq; homini deputatus est bonus angelus, sic cuiq; prouinciæ.

Non solum bonis hominibus deputatus est bonus angelus, sed etiam malis.

Intelligitur discedere angelus, non quòd nõ defendat ab aduersario, uel non retrahat à malo, sed quia non perducit ad bonum exhortando & monendo, & ad custodiæ principalem finem.

Non de postremo angelorum officio est, à peccatorum uinculis absoluere.

Hierarchia angelica est triplex. Eparchia, id est, suprema, mesarchia, id est, media, & hyparchia, id est infima. Sumitur autem hæc distinctio, secundum proprietates, quę sunt scientia, ordo, & actio. Vel aliter accipitur hæc distinctio, & clarius secundum tres status & officia, quæ sunt status contemplatiuorum, prælatorum, & actiuorum. Penes statum contemplatiuorum est hierarchia suprema, penes statum prælatorum est media, penes statum actiuorum est hierarchia infima. Vnde supremæ hierarchiæ est, immediate conuertiad Deum per contem-

contemplationis modum, & non occupari circa exteriora principaliter. Medias est in præsidentia, qui president cæteris, eos ordinando, principiando, & ad salutis ministeria exequenda dirigendo, quorum executio angelorum est ultimæ hierarchiæ &c.

In qualibet hierarchia ponuntur tres ordines angelorum. In prima sunt, Seraphin, Cherubin, & Throni. In media & infima magna est doctorum diuersitas.

Angeli nec cadentes nec stantes fuerunt in principio creationis beati, quia securitas & certitudo est de ratione beatitudinis.

Angeli deformem habent intellectum.

Liberum arbitrium in angelis, non ideo dicitur liberum, propter deflectionem ad bonũ indifferenter & ad malũ, sed propter liberam electionem eorum quæ uoluerit.

Angelis quatuor tribuuntur: essentiæ subtilitas, intelligentiæ perspicacitas, liberi arbitrij facultas, discretio personalis.

Angeli dissimiles sunt in donis naturæ, gratiæ & gloriæ. 57. 12.6.

Hierarchia triplex est, superior, media, & inferior. Superior continet tres ordines: scilicet Seraphin, Cherubin & Thronos, quorum primi considerant Dei bonitatem: secundi uirtutem: tertij æquitatem. In primis Deus amat, ut charitas; in secundis noscit ut ueritas; in ter-

tijs

ejus sedet ut æquitas. Media continet dominationes, principatus, potestates, quorum primi officia regunt angelorum, sequentes capitibus præsunt populorum: ultimi potestatem coercent dæmonum, item in primis Dominus dominatur, ut maiestas, in sequentibus regit ut principatus; in ultimis tuetur ut solus. Inferior similiter continet tres ordines: scilicet uirtutes, archangelos, & angelos. Ad quorum priores pertinent miraculorum operatio, ad secundos magnorũ negotiorum denunciatio, ad tertios humanæ custodiæ sollicitudo, item in primis Deus operatur ut uirtus, in secundis reuelat ut lux, in tertijs nutrit ut inspirans.

Rectè sentiunt, qui putant angelos in certas dignitates dispositas esse.

Angeli duplicem habent uisionem: matutinam & uespertinam.

Proprium est Seraphin in amore Dei semper ardere, & alios ad incendium diuini amoris promouere, & deum ordinate diligendi tribuere. Hi immediatè Deo iunguntur, & ideo primo & perfectius in ipsas operationes theophoniæ deferuntur, ad aliud quoq; extra amatum non diuertunt.

Cherubin primo & principaliter relucent diuini luminis radio, eò quòd uicinius patriæ ueritati iunguntur, horum officium est, promouere homines ad diuinam cognitionem, ideo

præ cæteris dicuntur lucere, quia plenitudinem quam suscipiunt, alijs inferioribus communicando transfundunt.

Dominationes dicuntur, quia cęteris angelis dominantur, ab omni oppressione sunt liberi, & nullo inferiori subijciuntur, horum officium est in spirituali bello instruere qualiter oportet prælationis officium exercere, & qualiter debeant subditis dominari, horum etiam officium est, timore seruili deposito in Deum moueri, & incessanter ei famulari.

Principatus Angelis præsunt, & eos ad ministerium diuinum explendum disponunt, ad hoc pertinet uniuersale regimen unius regni uel gentis ductiuum ad Dei similitudinem, ministerium quoque eorum est docere homines, exhibere reuerentiam unicuique secundum gradum suum, horum etiam officium est promouere homines, ut non propter utilitatem propriam, sed propter solius Dei amorem & honorem faciant iustitiam.

Potestatibus uirtutes aduersę subiectę sunt, ne mundo tantum noceant, quantum cupiũt, horum officium est illos qui spirituali certamine desudant, confortare, & ne spirituale regimen amittant, defendere, item ad hos spectat inferiores angelos quantum possibile est diuinæ potentiæ conformare.

Virtutes sunt infatigabiles ad executionem faciendorum

faciendorum, & robusti ad præceptionem munerum, horum officium est docere prælatos, ut facilè & perseueranter, quæ ad officium prælationis pertinent, exequantur, & ipsius onera sustineant patienter, item per illos miracula fiunt, & uirtus faciendi miracula perfectis conceditur.

Archangeli summi nuncij appellantur, & summa nunciant, horum officium est de illis quę pertinent ad promotionem fidei, ut de natiuitate Christi, & factis eius homines expedire, & dæmones ab hominibus remouere, prophetias reuelare, hi illuminationes quas à superioribus recipiunt, inferioribus annunciant, & per eosdem nobis.

Angeli sunt in cœlesti dispositione ultimi & hominibus magis propinqui, hi minora nunciant, & homines ad diuinam cognitionem ducunt, & ut iustè uiuant, instruunt, hi sursum extenduntur per dilectionem Dei, & in semetipsis firmantur per custodiam sui, ac sub se progrediuntur ad auxilium proximi.

Angeli in se habent cognitionem matutinam, hoc est, cognitionem Dei, item uespertinam, id est, cognitionem rerum in se, item meridianam, id est, aëriam uisionem. Est & alia cognitio angelica, pro ut scilicet maiores iudicant minoribus, quæ per diuinas theophanias reuelationes perceperunt.

Angeli

Angeli cognoſcunt plura ſimul habitu, non intellectu.

Cognitio angelorum non eſt per ſenſum, ſed per intellectum.

Motus angelorum tripliciter diſtinguuntur, ſcilicet circularis, rectus, & obliquus. Circularis eſt ab eodem ad idem, & circa idem centrum immobile, hunc motum habent angeli, quia immediate recipiunt illuminationes à Deo, & per illas reuertuntur ad Deum, iſtud autem conuenit ſuperiori Hierarchiæ tantum. Item motu recto mouentur, quando procedunt ad prouidentiam ſubiectorum, rectè omnia tranſeuntes, ibi non reuertuntur ab eodem ad idem, ſed de uno ad aliud. Item eſt in angelis motus obliquus, quãdo cognitionem inferiorum quibus prouident, reflectunt in Deum principium & finem pulchri & boni.

Eſt etiam differentia quædam inter miniſtrare & aſſiſtere, quia aſſiſtere eſt faciem Dei contemplari, ſic aſſiſtunt omnes angeli boni: item aſſiſtere eſt immediate recipere illuminationes à Deo, & ſic aſſiſtunt tantum tres ordines primi. Item aſſiſtere eſt appropinquare Deo & extraneum eſſe miſſioni ad exterius, ſic exiſtũt quatuor primi ordines.

Miniſtrare eſt nunciare pro temporis opportunitate, uel operari ſecundum officium, eſt enim miniſterium nuncij & officij.

De prælationibus angelorum sic se res habet: Præsunt quidam regionibus, ut dicitur in Daniele, Princeps Græcorum & Persarum, quidam præsunt Ecclesijs. Apocalyps. Angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe. Alij præsunt personis &c.

Hierarchiæ stabunt semper, quantum ad distantiam beatitudinis, & quantum ad gradum dignitatis, & quantũ ad nobilitatẽ doni gratuiti ac naturę, & in quantum etiam superiores habẽt reducere inferiores in theophonias glorię.

Prælationes angelorum super homines & angelos cessabunt in patria.

Angeli ex tribus habent confirmationem: ex natura, quia natura spiritualis tantum semel uertibilis in bonum uel in malum &c. ex gratia, quia si aliquid connectitur stabili æterno uinculo perpetuo, illa connexio semper manet, & gloria, qua fruuntur cum Deo.

Angeli tripliciter dicuntur loqui, mente, ore, & opere.

In esse angeli non est prius nec posterius.

Angeli nõ fuerũt ante mũdũ, id est, corpora.

Angeli fuerunt creati in cœlo empyreo.

Angeli sunt ~~creati in beatitudine impfecta.~~

Quanto angelus est superior, tanto minus habet de potentialitate.

Vnus angelus est simplicior alio angelo.

Differentiæ angelorum sumuntur secundũ diuersos gradus potentialitatis. An-

Angeli cõueniunt cum ſubſtantijs materialibus in genere logico, nõ aũt in genere phyſico.

Corpora aſſumpta angelis, ſunt de aẽre in-
Angeli boni ſicut & mali illabun (ſpiſſato.
tur corporibus noſtris.

Angeli mouendo cœlos, ſunt cauſa generationis inferiorum & ſuperiorum.

Omnes angeli ex uirtute naturę ſuę poſſunt tranſmutare omnia corpora naturalia etiam noſtra, & per conſequens omnes potentias organicas, & per accidens intellectum &c.

Angelus poteſt immutare omnes ſenſus hominis exteriores & interiores.

Angelus ſupior mouet uoluntatẽ inferioris.

Angeli agũt in inferiora per imperiũ tãtum.

Angelus primus eſt ſubiectum æui.

Numerus angelorũ non eſt de genere quantitatis, ſed eſt multitudo trãſcendẽs & formalis.

Angeli boni ſunt in maiori numero, quàm
Angeli boni ſorte ſunt plures, quàm (mali.
omnes damnati dæmones, & homines.

In angelis ſunt tres Hierarchiæ, ſecundum triplicem cognitionem gradus eorum.

In qualibet hierarchia ſunt tres ordines.

In quolibet ordine ſunt multi angeli. Infra 19. a

In angelis eſt triplex diuiſio, ſcilicet hierarchiarum ſecundum diuerſos modos recipiendi diuinas illuminationes, ordinum ſecũdum diuerſos actus, & perſonarum ſecundum diuerſam uirtutem.

Diuisio Hierarchiæ in ordines, est diuisio totius potestatiui, in partes potestatiuas.

Prima diuisio angelorũ, est secundum diuersas proportiones genere, secunda secundũ diuersas specie, tertia secundũ diuersas numero.

Ordines angelorum distinguuntur secundum gradum in præmio essentiali.

Angeli quanto sunt deo propinquiores, tanto sunt gradu sublimiores & scientia clariores.

Angeli unius ordinis non sunt æquales.

1 Omnes ordines primę hierarchiæ assimilantur ministris regis circa personam eius: scilicet
2 cubicularijs, consiliarijs, & assessoribus. Secundę officialibus regni in cõmune, scilicet dominis curię, principibus militiæ, & iudicib. curię.
3 Tertiæ uerò deputatis ad certas partes regni, scilicet præpositis, baliuis, & huiusmodi.

Inferiores angeli exercent officia superiorũ in uirtute superiorũ, ideo infimi possunt arcere (dęmones.

Essentia superioris angeli est nobilior & efficatior, quàm essentia inferioris.

Angeli superiores regulant inferiores in suis ministerijs.

Angeli superiores per scientiam suam ordinant actus & officia inferiorum, illuminantes, purgantes, & perficientes eos.

Formę superiorum angelorum sunt uniuersaliores formis inferiorum.

Cognitio superiorum angelorũ est perfectior, quàm cognitio inferiorum.

Plu-

Plura subiacent cognitioni superiorum angelorum, quàm inferiorum.

Superiores angeli perspicatius uident diuinam sapientiam, quàm inferiores.

Angelus superior illuminat inferiorem.

Intellectus angeli est semper in actu.

Omnes angeli primę hierarchię accipiũt cognitionem diuinorum effectuum in prima causa, secundæ in uniuersalibus rerum rationibus, id est, à prima hierarchia, tertiæ autem in proprijs rationibus.

Apparationes mortuorum quandoq; fiunt per operationes angelorum.

Angeli in primo instãti nõ potuerũt peccare.

De quolibet ordine quidã angeli peccauerũt.

Supremus oĩm ordinum angelorũ peccauit.

Primus angelus fuit alijs occasio peccandi.

Multa reperiuntur templa, quæ ab angelis fuerunt consecrata.

~~Angeli per ministeria, quæ nobis præstant, merentur nobis præmium accidentale.~~

Soli angeli primæ hierarchiæ assistunt Deo.

Tantum inferiores angeli mittuntur ad nos.

Sola ultima Hierarchia habet officium custodiendi & dirigendi homines.

Superiores angeli custodiunt electos ad maiorem gradum gloriæ.

Angeli custodiunt particulares homines, archangeli prouintias, principatus totam naturã

humanam, uirtutes corpora, potestates agunt in dæmones, dominationes super bonos spiritus habent custodiam.

Principes imitantur ad unam prouinciam. Archangeli ad unum hominē ad utilitatē communitatis, angeli ueró ad propria hominis.

Bonum commune ciuitatis uel gentis, dispositio regnorum, et mutatio dominationis de gente in gentem, & instructio principum de administratione regiminis, pertinet ad ordinem principatuum.

Singulis speciebus rerum corruptibilium, deputantur singuli angeli, sicut singulis indiuiduis incorruptibilium, scilicet hominibus.

Quidam angeli custodiunt unam prouinciam, quidam unam personam tantum.

Per se propriè quilibet homo habet unum angelum, sæpe etiam plures custodes.

Prelatus custoditur ab angelo ut persona particularis.

Singulis gentibus præponuntur duo angeli, alter bonus, alter malus.

Angeli pugnant ad inuicem pro custoditis, non quidem per contrarietatem uoluntatum, sed quia contraria sunt merita, de quibus consulunt uoluntatem Dei.

Christus non habet angelum custodem, sed ministrum tantum.

Damnandis deputātur angeli custodes, quia retrahunt eos à multis.

Ange-

Angeli assumunt corpora propria uirtute.

~~Angeli possunt immutare uoluntatē nostrā.~~

Angeli possunt dupliciter agere in animos nostros, confortando intellectum, & illuminando fantasmata.

Tempus angeli & continuum est discretū.

Nulla operatio angeli mensuratur ęuo.

Formæ superiorum angelorum sunt uniuersaliores formis inferiorum.

Angelus indiget lumine, id est, cognitione supernaturali.

Cognitio angelorū est uniuersalis, & quanto sunt superiores, tantō magis est uniuersalis.

DE ANGELIS MALIS.

Sicut inter bonos angelos certi sunt ordines certæ prelaturæ, ita quoq; certi ordines & prelaturæ sunt inter angelos malos.

Certę sunt inter malos spiritus prelaturę, ita quòd unus uni præsit prouinciæ, alter uni homini, tertius duobus uel tribus.

Spiritus in domibus, qui adiurati, petunt missas & uigilias, non sunt habendi pro diabolis, sed pro animabus defunctorum.

Diabolus dicit, quasi deorsum fluēs, peccauit enim Lucifer, & impulsus est usq; ad abyssum.

Tripliciter abijcitur ab anima Diabolus. Primo cum erubescentia & confusione, quia reputat sibi ad magnam confusionem,

quando uident, se uictum, & confusum, & expulsum ab homine, qui est minoris naturæ, & nobilitatis. Secundo abijcitur cum magna uehementia & uiolentia, quia omnes uires adhibet, ne à domo, quam diu possedit, expellatur. Tertio abijcitur cum generandi uelocitate, quia peccator, ~~qui diu inter peccata fuit, iustificatur in instanti per pœnitentiam.~~

Dæmones credunt fide actuali ex signis & cõiecturis, etiã ex scriptura quam nouerũt, & ex illis actibus credendi generatur in eis habitus.

Angeli ante casum non habuerunt fidem infusam.

Dæmones credunt quidem, sed quasi coacti & uelut cum quodam murmure.

Diabolus cadendo corruit, uel in infernum uel in aërem caliginosum, qui est in medio interstitio aëris. Mali enim spiritus non sunt in superiori parte aëris, ne lumine gaudeant, nec sunt in parte inferiori, ne nimis contra nos sæuiant. Mali spiritus ceciderunt secunda die, secũdum alios prima die subitõ post creationem.

Decimus chorus angelorum cecidit, sed hoc non dicitur, quòd decem ordines angelorum fuerunt, uerum quia tot de singulis ceciderant, quòd poterant facere chorum unum.

Angelorum ruina restaurabitur per saluandos, nam tot homines saluabuntur, quot dæmones ceciderunt, secundum alios ruina angelorum

lorum restaurabitur per uirgines.

Triplici acumine scientiæ uigent dæmones. Primo subtilitate naturæ, & hoc per cognitionem uespertinam. Secundo experientia temporum. Tertio reuelatione spirituum superno-rum. Primo modo intelligunt naturalia præsentia. Secundo modo naturalia futura: Tertio modo cognoscunt & uoluntaria.

Diabolus superatus in uno uicio, ipsum uictorem non potest amplius tentare de eodem uitio, sed alius diabolus potest.

Lucifer fuit de primo ordine superioris hierarchiæ, ac in illo ordine supremum gradum tenuit, cui tanquam principi de singulis ordinibus magna multitudo adhæsit, quam secũ traxit.

Lucifer primum hominem tentauit, & uicit. Item Christum tentauit, & uictus est, & potestatem tunc amisit, quam ultimis temporibus recuperabit, nũc religatus in fine soluetur.

Superiores mali angeli habent prælationẽ super inferiores malos angelos.

DE HOMINE IN genere.

Homo ex se potest intelligere res Dei.

Homo ex se præstare potest omnia mandata Dei.

Homo ex se potest operari opera placentia Deo, etsi fidem non habeat.

Hominis caro tantum non intelligit res dei perfectè, nec mandata Dei præstat, nec operatur opera placentia Deo: anima autem intelligit, præstat, & operatur, etsi non fuerit regenerata.

Homo regeneratus tantum partem iustitiæ recipit in Christo generalem, ut autem saluus fiat, opus habet speciali iustitia, ex bonis operibus parata.

Homo super omnia potest diligere Deum naturaliter.

Inter homines coram Deo prerogatiua est, unde falsum est, quod quidam dicunt: sumus, fuimus, manemus coram Deo semper æquales.

Homo tam uetus, quàm nouus, inuenitur in utraq; partione, inferiori & superiori, quia secundum utranq; partionem contingit peccare & mereri.

Deus creauit hominem de limo terræ per ministerium angelorum.

Hominem oportuit creari ~~ad imaginem~~ dei non angelos, quia homo habet conuenientiam cum Deo intus & extra, quod angeli non habent. Sicut enim à patre filius procedit, sic ab homine homo eiusdem naturæ: Præterea sicut ~~Deus prælatus est omnium in suo uniuer-~~

so

ſo, ita homo prælatus eſt omnium in ſuo uniuerſo.

Homo habet ſtaturam rectam, ut poſſit cognoſcere cœleſtia.

DE LIBERO ARbitrio.

Liberum arbitrium dum facit, quod in ſe eſt nihil non magni poteſt.

Homo regeneratus tale accipit liberum arbitrium, ut ex libera uoluntate perfectiſſimè ſatisfaciat legi Dei ad iuſtitiam pro peccatis.

Liberum arbitrium iuuatur quidem à ſpiritu ſancto, ſeu gratia, ſed tamen ex libero arbitrio meremur iuſtitiam, & mereri ualemus.

Deus non præcepit impoſſibilia, ergo in noſtra poteſtate eſt, ſeruare omnia mãdata Dei.

In rebus externis liberum arbitrium eſt ſine renouatione per ſpiritum ſanctum: ergo & liberum arbitrium eſt in rebus uerè intelligendis, & præſtandis ſine renouatione per ſpiritum ſanctum.

Deus præter conari & poſſe noſtrum, nihil amplius à nobis ad iuſtitiam requirit.

Homines per ſe ſuis naturalibus uiribus poſſunt legi Dei ſatisfacere, quod ad ſubſtantiam actuum attinet; gratiæ tamen interim tribuitur, quod addit reſpectum meritorij.

Li-

Liberum arbitrium dũ facit, quod in se est, promouet ad iustitiam.

Homo dum facit, quod in se est, peruenit ad gratiam.

Appetitus liber potest in utrunq; oppositorum.

Voluntas potest se conformare dictamini recto naturaliter.

Voluntas est libera ad tendendum in quod libet, secundum rationem boni sibi ostensum.

Homo super omnia potest diligere Deum naturaliter, quia homo errans potest diligere creaturam super omnia.

Actus amicitiæ naturæ est.

Actus amicitiæ est perfectissimus modus faciendi quod in se est, & est dispositio perfectissima ad gratiam Dei, aut modus conuertendi et appropinquandi ad Deum.

Illæ autoritates (Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Item: Appropinquate Deo, & appropinquabit uobis. Item: Querite & inuenietis. Item: Si quęsieritis me, inueniar à uobis &c.) ostendunt unum naturę esse, alterum gratię.

Facere quod in se est, est remouere obstacula gratiæ.

Natura & rectum dictamen habet, & bonã uoluntatem.

Domini sumus actuum nostrorum à principio

supra 27.b. & f.3.b.
supra 25.b.

pio usque ad finem.

Falsum est, liberum arbitrium peccare mortaliter, dum facit quod in se est.

Liberum arbitrium est dominus actuum hominis.

Liberum arbitrium habet actiuitatem in bono opere.

Est in potestate hominis libera, præcepta dei facere, quo ad substantiam actuum.

Humanarum uirium est, diligere Deum super omnia, & facere omnia præcepta Dei, quo ad substantiam actuum.

Natura perfecta et bona est, igitur homo potest seruare mandata Dei.

Libero arbitrio & actibus elicitis, uerè tribuitur potestas seruandi præcepta Dei.

Ratio sine spiritusancto potest diligere deũ super omnia.

Homo faciendo quod in se est, meretur remissionem peccatorum, dũ ratio dolet de peccato, & elicit actum dilectionis Dei, ut bene.

Christus tantum meruit nobis primam gratiam, seu habitum quendam, cuius est nos facilius ad seruanda præcepta Dei inclinare, cætera sunt liberi arbitrij.

Actus uoluntatis ante habitum illũ, quem meruit nobis Christus, & post illum habitum, eiusdem speciei est.

Voluntatis est, diligere Deũ, & seruare præcepta

cepta eius, nisi quód habitus ille, quem meruit nobis Christus, extimulet nos, ut idem faciamus libentius.

Habitus ille seruandi præcepta Dei, quem meruit nobis Christus, paratur per præcedentia nostra merita, & fit auctior.

Per opera legis meremur incrementum illius habitus, & uitam æternam.

Post habitum dilectionis, homines de condigno merentur.

Licet Christiano dubitare, utrum adsit habitus ille.

Ratio proprijs uiribus potest deum super omnia diligere, & legem dei facere.

Homines non peccant, facientes præcepta Dei sine gratia.

Ex actu elicito dilectionis possunt homines seruare præcepta Dei.

Homines sine spiritu possunt diligere Deũ, & præcepta Dei seruare, quo ad substantiã actuum, mereri gratiam ac iustificationem operibus, quę ratio per se efficit sine spiritu sancto.

Liberum arbitrium non tam à debito dicitur, quàm à facto.

Liberũ arbitrium sine gratia, tamen est liberum. Eventus nostræ salutis & dãnationis pendet ex nostri arbitrij libertate.

Salus nostra non tantum ex parte Dei, sed etiam ex nostra pendet.

Præ-

Prædestinatio non infert necessitatem libero arbitrio, itaq; in potestate hominis est, saluari & damnari.

In potestate hominis est, bene uel malè uti suo arbitrio, & sic ponere obicem gratiæ Dei, uel oppositum remouere. Potest enim cessare à uoluntate peccādi, & potest uelle nō peccasse.

In potestate nostra est, saluari & damnari, quia Christus dixit: Si uis ad uitam ingredi, seruamandata.

Homo adhuc habet liberum arbitrium, in utranq; partem uertibile.

Licet homo habeat liberum arbitrium, ita ut quantum ad interiores uoluntatis actus uiolentari non possit per potentiam creatam.

Liberum arbitrium est potestas seruandi rectitudinem uoluntatis propter ipsam rectitudinem, hoc est, potestas seruandi rectitudinem, id est, conformandi se rectitudini primæ seu increatæ, quantum est ex sui natura propter ipsam rectitudinem.

Liberum arbitrium est consensus ob uoluntatis inamissibilem libertatem, & rationis indeclinabile iudicium.

Voluntas libera omnibus alijs eodem modo se habentibus, potest uelle, & non uelle.

Non est laudabile posse facere bonum, ubi nō est posse facere malum, unde in commenda

tione uiri iusti, ait Eccles. Qui potuit transgredi, & non est transgressus: & facere mala, & nõ fecit.

Quamuis liberum arbitrium non potest efficere gratiam in homine, potest tamen se ad hoc habilitare & præparare quod habeat. Sicut enim non potest quis illuminare domum, potest tamen senestras aperire, quò facto sol intrat in domum.

Gratia non datur ei, qui se ad gratiam nõ habilitat.

Sufficiens est habilitatio ad gratiam, facere hominem, quod in se est. Facere autem hominem, quod in se est, tripliciter distinguitur, scilicet ut homo actum peccati, & uoluntatem peccandi deserat, & conetur in bonum, ut est sibi possibile.

Ex solo libero arbitrio potest liberari à morte spirituali, scilicet à peccato mortali.

DE PECCATO IN genere.

Homines in hac uita etiam sine peccato esse possunt, sicut sanctifuerunt.

Peccatum in baptismo remittitur, ut amplius non sit.

Peccatum non est uitium hærens in natura.

Quia

Quia Deus non iudicat de affectibus, ergo tantum dicta & facta externa peccata sunt.

Peccatum est aut opus cogitatum, aut dictum, aut factum contra legem, non corruptio naturæ, quæ nobiscum nascitur, uel impedit nos, quo minus possimus legi Dei satisfacere.

Vacare metu, fiducia, amore Dei &c. ἀδιάφορα sunt.

Peccatum nisi uoluntarium esset, non esset peccatum.

Non est omne peccatum ignorantia.

Ignorantia etiam coram Deo excusat peccatum, etiamsi sit inuincibilis.

Non omne peccatum est mortale secũdum naturam.

Peccatum etiam in his rebus est, in cibis, diebus, uestitu, & similibus rebus.

Non peccat homo, qui facit opera præceptorum extra gratiam.

Homo sine peccato esse potest.

Dubitatio, diffidentia, & similes uitiosi affectus, qui nobiscum nascuntur, nõ sunt peccata.

Peccatum nũllũ remittitur, nisi cognitum & confessum.

Peccare uolens, & peccare uoluntariè differunt. Nam uolens peccat, qui passione aliqua uictus peccat, non ex malicia in peccato perseuerat. Sed uoluntariè peccatis, qui ex habi-

tu & malitia, ac perseueranter peccat.

Peccatum est actus non meritorius aut mortaliter bonus.

Peccatũ sortitur tria nomina: dicitur enim macula, ratione turpitudinis: dicitur fœtor, eò quòd per ipsum refugit affectus rectè ordinatus: dicitur & peccatum æternæ mortis debitum, prout exit in effectum puniendi &c.

1 Peccatum est actus deuians ab ordine debiti finis, contra regulam naturæ, rationis, uel legis æternæ.

2 Peccatum actuale est uoluntaria commissio uel omissio contra rectam rationem.

3 Peccatum est uoluntaria carentia conformitatis ad rectam rationem debitæ uoluntati.

4 Peccatum in homine non est effectus diaboli, sed propriæ uoluntatis.

5 Aliud est peccati actus, aliud peccati habitus, aliud peccati reatus.

Peccati actus aliquid est, sed quando nõ amplius fit, desinit esse, etiam sine gratia. Sed peccati habitus, qui ex malis actibus relinquitur, etiam aliquid est, & remanet interdum etiam, ipsis cessantibus actibus, ac etiam post infusam gratiam & peccati remissionem.

Peccati uerò reatus siue macula secundum rem nihil est, deformat tamẽ animam non per mo-

modum positionis, sicut trũcatio membri per modum priuationis corpus deformat & maculat.

Peccatum non est substantia, uel res aliqua, sed defectus & corruptela.

Tria sunt in peccato: actio mala, interior macula, & sequela. Actio mala expellitur timore: Macula dolore: Sequela charitatis ardore expellitur. Vnde timor est in iustificatione, ut dicitur præparatio ad iustitiam, dolor ut infusio iustitiæ.

Remanere peccatorem post actum transeuntem, nihil aliud est, quàm, nisi ipsum à dei uoluntate ordinari ad pœnam cõdignam illi peccato.

Ad deletionem peccati regulariter requiritur pœna uel punitio uoluntaria. supra 25.

Peccator etiamsi perfectam egerit pœnitentiam de peccatis suis per contritionem & confessionem, & satisfactionem, tamen tenetur semper dolere, flere, & pœnitere, quotiescunque recordatus fuerit illius peccati.

Peccator dicitur ab ordinatione diuina, quapropter peccatum, quod transijt, & nõ est quãtum ad actum, ordinatus est ad pœnam æternam, hoc enim significat peccator.

Hoc nomen peccator nihil significat inexistens, in peccatore transeunte actum peccati, sed significat potius actum peccati, qui tran

ſit, & pœnam, quæ reſpondebit, & Deum, qui peccatorem ad huiuſmodi pœnam ſuſtinendam ordinauit.

Magni peccatores non ſtatim quando ſunt iuſtificati, habent illam pacem, quam habẽt perfecti & exercitati in uirtutibus, ſed pugnando contra inclinationem, & habitus uitioſos, merentur & acquirunt ſibi habitum in contrarium.

Homo plus peccat extenſiuè concomitante exteriore operatione, quàm ſola interiore uoluntate, quia peccat pluribus peccatis.

Peccatum quandoq; tranſit actu & remanet reatu: aliquãdo tranſit reatu, & remanet actu: aliquando tranſit actu & reatu ſimul.

Voluntas eſt cauſa peccati non efficiens, ſed deficiens. Voluntas enim quõd habet reſpectũ ad ſuum principium, à quo eſt, ſcilicet ad Deũ, non eſt nata dicere ex ſe, niſi bonum.

Si uolumus ſcire, unde ſit peccatum culpæ materialiter, dicendum eſt: ex nihilo.

Peccatum initiatur in cogitatione.

Peccatum aliud eſt commiſſi, aliud eſt delicti, quorum primum eſt præuaricatio præceptorum negatiuorum, ſecundum eſt præuaricatio affirmatiuorum.

Primi motus peccatorum non ſunt peccata, ſed ſecundo primis ſunt peccata.

Non omne peccatum eſt in uoluntate.

Mater

Mater Christi fuit omnino sine peccato.

Christus si uoluisset, peccare potuisset.

Aliquis potest sufficienter impelli à dæmone in actum peccati, non autem in peccatum.

Peccatum non est in cogitationibus, nec cogitationes sunt peccata.

Homo grauius peccat post legem Moysi datam, quàm ante.

Homo grauius peccat in noua lege, quàm in ueteri.

Clericus in sacris plus peccat in eodẽ genere peccati, quàm religiosus non in sacris.

Peccatum quodlibet dicitur remitti, quo ad duo, scilicet, quo ad culpam, & quo ad reatum: Et secunda remissio potest esse sine prima.

Peccatorum remissio primò attribuitur fidei, secundò charitati, tertiò pœnitentiæ.

Per charitatem consequimur peccatorũm ueniam.

DE PECCATO originali.

Fomes peccati non remoratur ab ingressu cœli, animam à corpore exeuntem.

Peccatum originis non est uitium hærens in natura.

Peccatum originale est tantummodo fomes

& qualitas corporis, qua corpus, non animus infectus est, cuicq; ex nobis medela adhiberi potest.

Peccatum originale non est res digna morte, & æterna damnatione.

Natura bona est. Item: Peccatum nõ nisi uoluntarium est, ergo non est originale peccatum hærens in natura, sed tamen externa dicta & facta peccata sunt.

Concupiscentia non est peccatum, sed tantũ pœna peccati originalis.

Rectè quidem sentiũt, qui credunt fomitem ἀδιάφορον esse.

Originale peccatum non impedit homines, quo minus possint seruare omnia Dei ex se.

Peccatum originale est tantum reatus, qui in baptismo tollitur.

Peccatum originale est actus concupiscendi, non primum uitium ab Adam contractum.

Peccatum originale non est pura priuatio, sed tantum habitus corruptus, cuius uires sunt, per se uerè cognoscere Deum, illi fidere &c.

Peccati originalis pœna est concupiscentia, non mors, non tyrannis diaboli, non damnatio &c.

Pro peccato originali, Christus tantum satisfecit.

Falsum est, naturam esse naturaliter & ineuitabi

tabiliter malam & uitiatam.

Natura & rectum dictamen habet, & uoluntatem bonam.

Maria concepta est sine peccato originali.

Fomes non est actuale peccatum, nec est actualis priuatio eius rei, quæ adesse debet, nec est uiua & quotidie mouens peccatum.

Falsa docent, qui sic docent, quód omnis affectus cõcupiscentiæ malæ sit peccatum mortale. Nec hoc est uerum, omne peccatum esse mortale secundum naturam.

Malè diffiniunt peccatum originale, qui diffiniunt esse actualem quandam prauam cupiditatem.

Originale peccatũ non semper manet in nobis, sed tollitur omnino in baptismo.

Sine metu Dei esse, sine fide esse &c. est culpa actualis: ergo sine metu Dei esse, sine fide esse &c. est culpa originalis.

Nemo æterna morte damnatur propter peccatum originis:

Fomes est qualitas corporis.

Quæstio scholastica est, utrum qualitas illa contagione pomi, an ex afflatu serpentis contracta sit, utrum augeatur medicamentis.

Natura quidem perfecta & bona est, igitur negandum est, hominem non posse seruare precepta Dei.

Peccatum originis non continet sub se hæc

peccata, ignorationē Dei, contemptum Dei, uacare metu Dei & fiducia, odisse iudicium Dei &c. quia sunt de actuali culpa.

Peccatum originis non manet post baptismum.

Concupiscentia pœna est, non peccatum.

Propter passiones nec boni, nec mali sumus, nec laudamur, nec uituperamur.

Nihil est peccatum, nisi uoluntarium.

Natura mala non est.

Peccatum originale est imbecillitas in natura, quæ fomes dicitur, & non est peccatum, hęc est res sua natura digna damnatione, sed tantum pœna peccati, & res media.

Dubitatio, diffidentia, & similes uitiosi impetus, non sunt peccata.

Fomes peccati per se non moratur animam exeuntem à corpore, ab ingressu regni cœlestis, nisi simul accedant actualia peccata.

Peccatum originale non est priuatio pura, sed quidam habitus corruptus, licet non infusus aut acquisitus, sed per uitiorum originem innatus.

Paruuli damnati pro solo originali non actuali crimine nullam habebunt pœnam sensus in corpore, aut sensu exteriori. Nec est eis pœna uermis, nec interior tristitia, sed pœnā damni habent carentiam uisionis, & fruitionis dei, & tenentur in loco uili.

Cor

Corpora paruulorum in peccato originali decedẽtium, sunt impassibilia, idq; iuxta hanc distinctionem. Aliquid non pati ab actiuo proximato contingit dupliciter. Aut ex uirtute quam habet in se, aut ex ordinatione diuinę iustitiæ. Hoc secundo modo corpora paruulorum sunt impassibilia, non per uirtutem aliquam resistendi agenti sibi communicatam. Quare etsi corpus paruuli uolueretur in illo infernali igne, non sentiret pœnam, quia deficit materia in quam agit ille ~~ignis, scilicet peccatum actuale, & hoc propter diuinæ iustitiæ~~ ordinem. Sic nec esurient, nec sitient, nec patientur inordinatos motus, & concupiscentias fomitis manentis, quos etiam dum uixerunt, non senserunt, nec aliàs patientur ab intrà uel ab extrà sensibiliter agente hoc ordine iustitiæ Dei.

Peccatum originale extinguit baptismus, sicut & actuale peccatum.

Originalis iustitia est quidam habitus supernaturalis immediate à Deo infusus ipsi animæ Adæ, faciens perfectam pacem & tranquillitatem inter partem sensualitatis & rationem, & uoluntatem, & partem intellectualem, & istud donum quo ad aliquid extat mobilius habitu charitatis, quia faciebat perfectam pacem, inter partem superiorem & inferiorem. Tamen simpliciter donum charitatis est nobilius, cum

per ipsum anima reddatur chara & amica deo quod non faciebat iustitia originalis.

Fomes dicitur diminui in baptismo, non quantum ad eius essentiam, sed quantum ad effectum, quem consueuit causare in anima, scilicet peccatum, & quantum ad illum minuitur per gratiam, quia cum gratia augetur, fomes minorem habet efficaciam inclinandi ad peccatum, puta uictus à fortiore inclinatione gratiæ ad meritum &c.

Primi motus peccatorum, etsi particulariter & sigillatim possint declinari, omnes tamẽ nullo modo possunt caueri.

Primi motus non sunt peccata, quando autẽ dicuntur peccata, non est intelligendum de primis motibus, sed de secundo primis. Est enim duplex motus, naturalis & sensualitatis. Motus uerò secundo primi sunt peccata, quia sunt actus inordinati in genere moris.

Si ratio consentit cum deliberatione, quæ fit per rationes diuinas, hoc modo, quia omne lege Dei prohibitum est uitandum, tunc dicitur peccatum in superiore parte rationis, sed si deliberatio fit per rationes humanas, hoc modo omne, in quo transcenditur, medium uirtutis est uitandum, tunc dicitur peccatum esse in inferiori parte rationis.

Fomes in beata Virgine in conceptione & post conceptionem totaliter sublatus fuit.

Peccatum

Peccatum originale est habitus corruptus, non pura priuatio.

Peccatũ originale respectu personę est pœna tantũ, sed respectu Adę habet rationem culpę.

Peccatum originale est uoluntarium per uoluntatem Adæ tantum.

Peccatum fuit in Adam, ut in causa principali, in semine uerò instrumentaliter, sed in anima subiectiuè, in carne autem ut pœna, non ut culpa.

Peccatum originale pręcipuè est in membris genitalibus, quantum ad originem, sed consumitur in operationibus animalibus, quo ad rationem culpæ.

Corpora habentium tantum peccatum originale, post resurrectionẽ erunt passibilia, sed non patientur, quia non erit agens naturale.

Peccatum originale quo ad culpam est à patre, quo ad pœnalitates est à matre.

Peccatum originale nimiũ est grauitate reatus pœnę, & est tantũ communitate maximũ.

Christus principalissimè uenit tantum, ad tollendum peccatum originale.

Peccatum originale est minus uoluntarium quàm alia peccata.

Peccatũ originale respectu naturę est grauius ueniali, sed respectu personę non est grauius.

Si Eua peccasset, & non Adam, filij eorũ non habuissent defectus sequentes, scilicet passibilitatem & mortalitatem.

DE

DE PECCATO ACTVali mortali.

Septem tantum ſunt peccata actualia mortalia.

Adfectus & cogitatus praui etiam in impijs non ſunt peccata mortalia.

Vbi non accedunt externa facta, etiamſi ad ſenſus accedat, adfectus & cogitatus contra præcepta Dei, non ſunt peccata mortalia.

Non omnia peccata mortalia damnabilia ſunt.

Fides cum peccato mortali ſubſiſtere poteſt.

Mortalia peccata tantum & illa omnia pertinent ad confeſſionem & abſolutionem clauium.

Non peccat mortaliter liberum arbitrium, dum facit quod in ſe eſt.

Homo per peccatum mortale, perdit & amittit omnia præcedentia opera ac merita, quia mortale peccatum non tantum necat animam, ſed & bona opera perire facit. Verum bona illa opera per peccatum mortale amiſſa, reparantur pœnitentia.

Peccatũ actuale mortale eſt formaliter corruptio rectitudinis moralis in actu elicito, nõ qui infuit, ſed qui ineſſe debuit, quia uoluntas libera debitrix eſt, ut omnem actum ſuum conformiter

formiter eliciat regulæ superiori secundum præceptum diuinum.

Peccatum mortale non contrahitur quantumcunq; sit eius sensatio, nisi sit eius consensus.

Non omne quod est factum contra præceptum aut uotum, aut iuramentum, aut etiam contra Dei interdictum est peccatum mortale, quia in quolibet horum stat peccari posse per surreptionem quandam, & absq; perfecto rationis consensu.

At qui non cum impię mentem cogitationes tangunt, peccamus mortaliter, sed duntaxat cum eis consentimus, id est, quando illi uoluntas nostra fauet, quando eas ipse cum delectatione complectitur, quando eas adesse gaudet, quamdiu uerò hę sibi displicent, sibiq; sunt horrori ac odio, nullum est mortalis noxæ periculum.

Tripliciter quis dicitur in peccato mortali, uel quia adhuc est in affectu uel actu peccandi, aut quia de commisso peccato non est absolutus, quia non sufficienter contritus est, uel quia licet in foro cõscientiæ, non tamen in foro pœnitentiæ absolutus est, quia non confessus.

Peccatorum mortalium alia sunt carnalia, alia spiritualia. Carnalia maioris sunt infamiæ, spiritualia uerò maioris culpæ. Peccata purè carnalia sunt gula &c: purè spiritualia, inuidia,

uidia, ira &c. Media inter utraq; sicut & auaritia participat cum utrisq; &c.

Peccata mortalia quædam sunt commissi, quædam delicti. Aliqua enim committuntur in faciendo, aliqua in omittendo. Prima peccata sunt præuaricatio seu transgressio legis, quoad præcepta negatiua. Non occides, non mœchaberis &c. Secunda sunt præuaricatio seu transgressio legis, quoad præcepta affirmatiua, sicut sunt: Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde &c.

Peccatorum mortalium quædam committuntur in deum Patrem, quædam in deum Filium, quædam in deum Spiritum sanctum.

Peccatum in Patrem est, quando uoluntas quæ est coniuncta appetitui sensitiuo nata sibi condelectari, & peccans occasionaliter ex inclinatione appetitus sensitiui ad suum delectabile, peccat ex passione. Hoc peccatum est appropriatè in patrem, cui adtribuitur potentia.

Peccatum in filium est, quando uoluntas agit per cognitionem intellectiuam, hoc est, præsupponit cognitionem intellectus illius obiecti, circa quod elicit suum actum, ideo ratione errante ipsa confirmiter eliciente, non rectè elicit, nisi error esset inuincibilis, & sic peccat ex ignorantia. Et hoc peccatum appropriatè dicitur in filium, cui appropriatur sapientia.

Peccatum in spiritum sanctum est, quando uoluntas

uoluntas peccat ex libertate propria non con delectando appetitui sensitiuo, nec ex errore rationis, & qui sic peccat, dicitur peccare ex malitia, quia non ex passione siue odio, neq; ex errore ni ratione peccat, ibi enim est plenissima ratio peccati, quia plenissima ratio uoluntarij, quia nihil est aliud à uoluntate alliciens eã ad malum, neq; in sensu, neq; in intellectu, sed ex mera libertate sua, siue aliqua occasione extrinseca eligit uelle contra dictamen rationis, etiamsi non tendat in ipsum malum sub ratione mali. Et hoc peccatum dicitur committi in spiritum sanctum, cui adtribuitur bonitas.

Peccatum mortale remitti per aliquod multipliciter potest intelligi, scilicet quod prædicit uarias circumstantias causæ. Vno modo intelligitur peccatum mortale deleri per aliquod tanquam per causam formalem, ut quando illud est forma inhærens animæ expellens seu non compatiens secum mortale peccatum. Secundo tanquam per causam efficientem, principalem dispositiuam aut instrumentalem. Tertio modo per ipsum, ut per signum pronuncians, uel ostendens absolutionẽ à peccatis. ~~Item quandoq; peccatum remittitur quo ad culpam, quandoq; quo ad pœnam, quandoq; quo ad utramq;.~~

Quia difficile est cognoscere peccatũ mortale, igitur hę sequentes regulę cognitionis tenendæ sunt iuxta scholasticos. Pri-

1 Prima. Vbi adſunt adfectus animę & complacentia, ibi adeſt peccatum mortale.

2 Secunda. Bonum quodcunque citra Deum diligere, ſupra Deum uel æquè Deo, eſt peccatum mortale, quia Deus diligi debet ſuperomnia & propter ſe.

3 Tertia eſt de charitate. Omne quod directè contrariatur charitati Dei & proximi, eſt mortale.

4 Quarta. Quicunq; facit directè cõtra quodcunq; pręceptum decalogi, peccat mortaliter.

5 Quinta eſt de eccleſię pręcepto. Nam transgreſſio contra quodcunq; præceptum eccleſiæ eſt mortale, ſi fiat ſcienter aut ex contemptu.

6 Sexta eſt de fine. Quandocunq; quis conſtituit finem ultimum in creaturis, uel citra Deũ, peccat mortaliter, quia hoc eſt frui utendis.

7 Septima eſt de grauitate iniuriæ, qua iniuriatur Deus & proximus.

8 Octaua eſt de inhæſione firma conſcientiæ dictantis aliquid faciendum uel nõ faciendum.

9 Nona eſt de ignorantia. Nam ignorantia non excuſat de peccato mortali.

10 Decima eſt de chariſmate ſacramentali. Quõd indignè ſuſcipiens quodcunq; ſacramentum, eſt peccatum mortale.

11 Vndecima eſt de lege poſitiua, quod lex canonica uel conſtitutio legis alicuius cuiuſcunque non ſemper obligat ex eius transgreſſione

ad

ad peccatum mortale, etiamsi sit lata per uerba præceptiua uel inhibitoria aut æquipollentia.

Duodecima est de malo alieno, quod uniuſ mali alij simul compeccant mortaliter.

Decima tertia est de non necessarijs, ut sunt sacramenta non necessitatis, & consilia Euangelica. Nam etiam sacramenta non necessitatis unà cum omnibus consilijs Euangelicis obligant omnes homines ad non contemnendum.

Decima quarta est de obedientia. Quicunque contra obedientiam debitam superioribus siue ecclesiasticis siue temporalibus in licitis mandatis ex contemptu transgreditur, mortaliter peccat.

Decima quinta est de pœnitentia. Quod omne peccatum graue mortale per pœnitentiam & confessionem sequentem fit ueniale.

Decima sexta est de quantitate intentionis, uel quantitate, quod quamuis quis intendat modicum uel uenialiter peccare, tamen mortaliter peccat, non obstante tali intentione in his, quæ sunt contra præcepta, tum quia talis erronea conscientia peccat, tum quia opus malum non recipit quantitatem ab intentione.

Decima septima est de rationis consensu deliberatiuo, id est, quando quis sufficienter potuit deliberare & resistere, & non fecit, ut debuit.

Decima octaua est de sensuũ actibus. Quod quandocunq; in actibus sensuum quis intendit ad mortale principaliter peccat mortaliter.

Decima nona est de titubatione dubietatis. Quando quis aliquid facit, de quo titubat dubitando pro utraq; parte, utrum illud sit mortale an ueniale, mortaliter peccat & tenetur confiteri, quia discrimini mortalis peccati se exponit. Seius si non dubitaret pro utraque parte, sed crederet potius esse ueniale, nec aliunde scire posset. In dubijs autem tutiorem uiam amplecti debemus. Verum si non maiorem certitudinem de una partium habet quàm de altera, sistere debet, quousq; ad eorum aliquam magis assentiatur.

Vicesima est de uoluntarijs. Quod in peccatis mortalibus sola uoluntas deliberata pro facto capitur, quantum ad hoc, quod mortale sit peccatum in uoluntate, quod si opere exequatur, erit grauius.

Vicesima prima est de uolũtate. Oportet enim mortale peccatũ uolũtarium esse, adeo ut cum nõ sit uoluntariũ, nõ sit mortale peccatũ.

Vicesima secunda est. Quod quicunq; uoluntarie uel ex propria culpa exponit se periculo mortalis peccati, uel seipsum uel proximum, peccat mortaliter.

Peccatum mortale est deordinatio quędam ac deuiatio ab ordine necessario ad salutis consecutionem.

Pecca-

Peccator etiam post peccati mortalis remissionem, tenetur ad detestationem, non tamen pro semper.

Delectatio carnis morosa mortale peccatum est.

Consensus in delectationē motuum, qui est ex deliberatione rationis, est peccatū mortale.

Mortale peccatum est Libido siue uoluptas, in creatura supra Deum uel æque Deo.

Sine mortali peccato nunquam dimittitur ueniale, mortale autem dimittitur sine ueniali.

Vnum peccatum mortale non dimittitur sine altero, quia mortalia habent connexionē ad inuicem ex parte auersionis.

Actus qui de se est peccatū mortale, fit sæpe uirtuosus propter aliquam circumstantiam.

Non omne peccatum mortale est cōtra præceptum Dei.

Omne peccatum mortale contrariatur charitati, non autem spei, & fidei.

Peccata non semper sunt connexa.

DE PECCATO ACtuali ueniali.

In impijs etiam extare possunt actualia peccata uenialia.

Venialia peccata pro leuibus reputantur.

Venialia peccata extinguuntur per aquā benedictam, per purgatorium, & res huiusmodi.

Ad uenialium peccatorum expiationem, non opus est gatia uel Christo.

Bug. 24.6. Homo in hac uita sine uenialibus etiam peccatis esse potest.

Venalia peccata non pertinent ad confessionem & absolutionem clauium.

Impietas est dicere, omne peccatum esse mortale, secundum naturam, sed ueniale his, qui sunt in Christo.

Venialia peccata extinguit ac fugat aqua benedicta.

Locus Ioannis. Si dixerimus: peccatum nõ habemus, mendacem facimus eum &c. de uenialibus tantum peccatis intelligendus est, sine quibus nunquam esse homo potest.

Peccatum ueniale non separat à consortio Dei, sicut peccatum mortale.

Peccatum ueniale non punitur æterna pœna, sed pœna temporali tantum.

Sicut peccatum ueniale dignum est uenia, & temporalem pœnam promeretur, sic ab euentu per pœnitentiam mortale fit ueniale.

Peccatum ueniale est complacentia seu uoluptas in creatura infrà uel citrà Deum, id est, quod non plus quàm Deo, nec æquè sicut Deo, quia scilicet non uellet quis illi finaliter adhærere, uel propter illud Deo displicere, aut scienter contra eius præcepta & mandata quicquam facere.

Peccatum

Peccatum ueniale est triplex. Quoddam est ueniale ex sola surreptione, id est sine aduertentia, quod præuenit deliberationem, & illud sicut uitari non potest, ita etiam nunquã fit mortale qnamdiu manet in illo genere & surreptione. Secus si maneret & continuaretur actus ex surreptione inceptus, quousq; accederet perfecta deliberatio, quia tunc non manet surrepticius. Et dicitur ueniale ab adueniendo, quia uenit ex surreptione & pronitate naturæ corruptæ, & hoc prouenit nisi subsequitur iudicium rationis, ut sunt motus carnales & sensuales. Quoddam est ueniale, quod fit cum cogitatione sine aduertentia, sed sine pleno consensu, ut in cogitatione de muliere, & in delectatione citra consensum in delectationem. Tertium est ueniale cum ratione & consensu, sed ideo est ueniale, quia non est contra præceptum, ut uerbum ociosum, & mendacium iocosum, risus superfluus & huiusmodi. Et dicitur peccatum ueniale, non ideo (ut quidam dicunt) quia meretur ueniam (hoc enim falsum) quia nullum peccatum potest habere rationem ad merendam ueraciter ueniam, imò demeretur &c. Peccatum autem primo & secundo modo, si accedat consensus perfectus, erit mortale. Nam propter defectũ consensus & imperfectionem eius fuit ueniale, ideo accedente consensu cessat ratio uenialis peccati, & nihil deficit de ratione mortalis.

Ratione peccati uenialis per se, non necesse est confiteri, sed ratione periculi.

Veniale peccatum est deuiatio ab ordine nõ necessario, sed utili. Sciendum autem est, quod duplex sit à deo ad salutem institutus ordo. Primus est necessarius, & hic est obseruantia præceptorum, secundum illud: Si uis ingredi ad uitã, serua mandata. Secundus est ordo cõsequendi ad salutem compendiosus & utilis, non tamen necessarius, sicut obseruatio consiliorum Euangelicorum. Recessus à primo ordine, qui est per transgressionem præceptorũ, dicitur & est peccatum mortale, quia inducit mortẽ perpetuam, & priuat animam uita gratiæ in præsenti, & uita glorię in futuro. Recessus aũt à secundo ordine, scilicet ab obseruantia consiliorum per conuersionem inordinatã ad creaturam, citra tamen transgressionem præceptorũ, est peccatum ueniale. Dicitur aũt peccatum, quia est quędam deordinatio in adhęsione creaturę minus utili, dimissa utiliore, cũ tamen ratio deprecetur ad optima. Dicitur ueniale, quia nõ inducit mortẽ, neq; tollit ~~gratiam neq; eam minuit~~, alioqui cum gratia sit finita, posset per multiplicationem uenialium tota auferri, & sic uenialia non essent uenialia. Minuit tamen feruorem gratię, hoc est, impedit gratiam à sua operatione. Feruor uerò charitatis consumit ueniale peccatum, sicut ignis magnus guttam aquæ iniectam.

1. duplex sit à deo ad salutem institutus ordo.

2 serua mandata.

Infra 65. a

Ve

Veniale peccatum non auertit à fine, sed obligat & impedit aliquantulum progressum ad finem.

Veniale peccatum non habet contemptum Dei (nemo enim contemnit quod amat) sed habet quandā desidiam & teporem, pro quanto plus adhæret creaturæ, quam proficit ad adhærendum Deo.

Veniale peccatum etiam post hanc uitam remittitur.

Vnum ueniale potest remitti sine odio.

Quodlibet opus meritorium habet uim remittendi peccatum ueniale.

Aqua benedicta remittit ex suo ualere peccatum ueniale.

Veniale peccatum tollitur in baptismo, nō tanquam repugnans gratiæ, sed tanquam repugnans gloriæ.

Venialia peccata remittit confessio generalis quantum ad culpam, & quantum ad pœnæ diminutionem.

Peccatum ueniale est amor uoluptatis in creatura citra Deum.

Primi motus meritò dicuntur uenialia, quia sunt uenia digna.

Peccatum ueniale est delectatio carnalis sine consensu.

Consensus subitus non præhabita deliberatione, sed ex sola corruptione rationis, quam

præcedit appetitus sensualitatis in primo motu, talis consensus dicitur surreptio, & est ueniale peccatum.

Peccatum ueniale minoris est culpæ.

In paruulis primum surgunt uenialia, postea mortalia.

Veniale peccatũ est, quod hominem usq; ad reatum perpetuæ mortis non grauat, sed pœnam meretur, & facilè indulgetur.

Peccatum aliquod tribus modis est ueniale. Primo modo ex genere, sicut uerbum ocio sum est ueniale, secundo modo ex euentu, secundum quod per pœnitentiam de mortali fit ueniale, tertio modo ex causa, ut quando fiunt quædam ex infirmitate uel ignorantia, quæ licet quandoq; sint mortalia, tamen dicuntur uenialia ex comparatione ad peccatum, quod fit ex certa malitia &c.

Peccatũ ueniale nunquã potest fieri mortale, ita uidelicet si intelligatur idem secundũ substantiã, quod prius fuit ueniale mortale fieri.

Beata uirgo sine uenialibus uixit in hac uita.

Effectus uenialis peccati multiplices sunt. Primus est, quia ad pœnam obligant uenialia, non quidem determinate uel præcisè obligant ad pœnam æternam uel purgatoriam, uel presentis satisfactionis, sed ad aliquam illarum pœnarum. Quoniam secundum forum ecclesiæ præsentis satisfacit homo leuiter, sed

secundum

ſecundum forum purgatorij punietur homo grauius, ſed ſecundum forum inferni punietur grauiſſimè pro ueniali, quia æternaliter, ſi cum mortali & ueniali diſceſſerit.

Pœna inferni pro ueniali incomparabiliter minor eſt, quàm pœna pro mortali.

Illata pro ueniali in purgatorio eſt ſicut linea. Illata pro ueniali in præſenti, eſt ſicut punctus.

Quantum ad culpam attinet, omne peccatum ueniale aboletur in præſenti à gratia finali in ſaluandis, ſed non quantum ad pœnã, quę ſoluetur in purgatorio. Delet autem gratia finalis peccatum ueniale in ipſa diſſolutione corporis & animæ.

De uirtute completionis, & ſui ſtatus, quam uis non ſit modus contritionis ad idem directus &c.

Etiam quantum ad culpam attinet, à multis deferuntur uenialia peccata ad purgatorium.

Homo ſtatim à morte euolaret ad gloriam, niſi eum uenialia peccata impedirent, quæ cogitur prius in purgatorio ſoluere.

Poſt perpatrationem uenialiũ oportet nos quædam opera conuertere ad ſolutionem horum debitorum, per quæ nobis deberet creſcere cumulus æterni præmij.

Pœnitentia licet non ſit de uenialibus ſimpliciter, tamen per accidens eſt, & hoc tribus mo-

dis: Primo ratione dubii, ut quando creduntur esse mortalia: Secundo ratione statuti, ut est, quando homo, qui tenetur confiteri semel in anno, non habet nisi uenialia: Tertio ratione periculi, ut quãdo uenialis delectatio ad hoc perducta est, quòd nisi homo se auertat ab ea, trahitur in mortale.

De uenialipeccato sciendum, quòd in duobus casibus non remittitur. Primus est, si talis habeat mortale peccatum, quoniam sine mortali peccato nunquam dimittitur ueniale, licet è contrà possit fieri, scilicet, quòd mortale dimittatur sine ueniali, cum enim mortale peccatum tollat charitatem, quæ uniuersa delicta operit, constat, quòd existenti in peccato mortali nullum remittitur ueniale.

Secundus est, quòd uoluntas fixa est in affectu alicuius peccati uenialis determinati, quoniam idem illud tolli non potest.

Vnum peccatum ueniale potest remitti sine altero, quia peccatum mortale, quod maioris est adhærentiæ, potest remitti sine ueniali.

Veniale quamuis Deo displiceat, cum inordinatum sit, non tamen facit ipsum peccantem displicere Deo, quia nõ priuatur gratia, sed obnubilatur in quantũ eius processus impeditur ad exteriora, & propter hoc unum ueniale nõ impedit, quin aliud remitti possit

Venialia non habent connexionem ad inuicem

cem nec ex parte auersionis, quia non auertũt à summo bono, nec ex parte conuersiõis, ideo unum remitti potest sine alio, nõ uerò sic est in mortalibus. Ad peccati uenialis remissionẽ nõ exigitur nouus charitatis habitus, sed sufficit nouus motus, quia peccatũ ueniale nõ tollebat uirtutis habitum, sed impediebat ipsius actum. 79.b.

Peccatũ ueniale nõ dimittitur sine contritione, cuius hęc est ratio, quia quãdiu manet uoluntas in aliquo ueniali, nunq̃ dimittitur, sed uoluntatem auertere ab eo, quod quis prius uolebat, est displicere ei, quod uoluit: talis aũt displicentia dolor cõtritiõis dicitur, sed cõtritio in habitu nõ sufficit ad peccati uenialis remissionem; nec cõtritio in actu semper requiritur, propter hoc requiritur contritio medio modo, scilicet, ut peccatũ displiceat actu uel explicite, uel implicite: dico aũt implicite, qa talis actus sufficit.

In cõtritione de uenialibus nõ exigitur propositum non peccandi uenialiter, sicut in contritione pro mortali, sed sufficit, quõd ei sufficiat peccatum præteritum.

Multa sunt, per quę tollũtur peccata uenialia quę per tria comprehenduntur. Primo sunt omnia, quę gratiã cõferunt, ut sacramẽta Ecclesię: secundo illa, quibus impedimenta feruoris tolluntur, sicut est aqua benedicta, quæ uirtutem inimici reprimit, & episcopalis benedictio: tertio exercitiũ humilitatis ex parte nostra, ut est tonsio pectoris, oratio dominicalis.

eleemosyna, ieiunium & huiusmodi. Ratio horum est, quia cum uenialia dimittantur per feruorem charitatis, qui implicitè uel explicitè cõtinet omnia illa, quæ nata sunt, de se feruorem charitatis excitare dicuntur, peccata uenialia dimittere. Vnde ~~cum secundum quantitatem feruoris fit quantitas remissionis~~, patet, quòd ~~prout per ista~~ tria prænumerata ~~maior uel minor excitatur feruor, qui uel implicitè, uel explicitè contritionem continet~~, plura aut pauciora uenialia dimittuntur, non tamen semper omnia.

Peccatum ueniale dicitur ex causa, euentu, & genere.

Peccatum ueniale non habet propriè rationem offensæ.

Peccatum ueniale non habet simpliciter, & perfectè rationem peccati.

~~Peccatum ueniale non tollit~~ gratiã, sed stat cum ea.

Peccatum ueniale nõ contrariatur uirtuti.

Peccatum ueniale nullam ~~propriè maculã~~ causat in anima, sed impedit ~~actus uirtutum.~~

Homo quandoq; potest esse in hac uita sine peccato ueniali.

Peccans uenialiter recidiuat & simulat, id est, est fictus dispositiue, & imperfecte, sed non simpliciter.

Remissio peccati uenialis non comparatur sa-

ſanitati, quia in eo nõ eſt aliqua deſtitutio, nec debilitatio uirtutis, ſicut in infirmitate corporis.

Vnus actus charitatis, poteſt delere omnia uenialia.

Aliquid cauſat remiſſionem uenialium tripliciter, ſcilicet cauſando gratiam, ut omnia ſacramenta nouæ legis, uel deteſtando peccata, ut confeſſio generalis, & oratio dominica: uel reuerendo diuina, ut benedictio epiſcopalis, quælibet unctio ſacramentalis, & huiuſmodi.

Ingreſſus Eccleſiæ conſecratæ delet peccata uenialia.

Nulla ſatisfactio eſt taxata pro ueniali, ſed iniungitur aliquid magis ad deuotionem excitandam, & contritionem, quàm ad ſatisfactionem.

Probabile eſt, ſtatim poſt mortem remitti peccata uenialia.

Vnum ueniale poteſt eſſe capitale, reſpectu duorum uenalium.

Venialia non contrariantur charitati.

Peccatum ueniale comparatur ægritudini tantum.

Peccatum ueniale non eſt contra præceptũ Dei, ſed eſt præter præceptum.

Conſenſus in ueniale ex genere, eſt ueniale.

Per ueniale peccatum non omnino auertitur mens à Deo.

Mo

Motus rationis superioris, in illud quod est ueniale ex genere, est ueniale.

Peccatum ueniale etsi aliqua ex parte displiceat Deo, tamen non facit peccantem displicere Deo. Peccatum ueniale non impedit remissionem peccati mortalis.

Vnũ ueniale potest remitti sine alio ueniali.

Sum. 37. A. Peccatum ueniale remittitur post mortem in purgatorio, quoad culpam & pœnam.

DE PECCATO IN spiritum sanctum.

Peccatum in spiritum sanctum extenuandũ est, ne propter illud homines adigantur ad desperationem.

Peccatum in spiritum sanctum est, quando uoluntas peccat ex libertate propria, non condelectando appetitui sensitiuo, nec ex errore ratiõis, & qui sic peccat, peccat ex malitia, quia non ex passione siue odio, nec ex errore in ratione peccat, ibi enim est plenissima ratio peccati, quia plenissima ratio uoluntarij, quia nihil est aliud à uoluntate alliciens eam ad malum, neq; in sensu, neque in intellectu, sed ex mera libertate sua, siue aliqua occasione extrinseca eligit uelle contra dictamen rationis, etiamsi non tendat in ipsum malum sub ratione mali. Et hoc

hoc peccatum dicitur committi in spiritum sanctum, cui attribuitur bonitas.

Peccatum in spiritum sanctum nihil aliud est quàm malitia, hoc est, quando uoluntas potest & sic resistere alicui malo, & tamen ex sola malitia illud eligit.

Quantum ad culpam attinet, peccatum in spiritum sanctum est ferè semper irremissibile.

Peccatum in spiritum sanctum dicitur irremissibile, quia non legitur remissum.

Peccatum in spiritum sanctum est, peccare ex electione mali, & tantum ex malitia, quę est cum contemptu bonorum impedientium peccatum.

DE LEGE NATVRALI.

Naturalis cognitio Dei ante lapsum, aliqua fuit Dei notitia, sed non perfectissima, hoc est, talis, quòd Deus creet, gubernet, et conseruet omnia.

Naturalis notitia Dei habet eandem efficaciam in cognoscẽdo deo et coliẽdo, quam habuit ante lapsum. Lex naturalis est signum naturaliter habitum notificatiuum rectę ratiocinationis diuinę, uolentis creaturam rationalem ligari ad aliquid agendum, pro consecutione finis sui naturalis, qui est feliciras humana, siue monastica, siue œconomica, siue politica.

Lex

Lex naturalis sic differt â diuina, quia hęcaĕ quiritur per reuelationem. Lex uerō naturalis ex naturali lumine intellectus tantum.

Non omnia pręcepta decalogi sunt legis naturalis, quia non omnia præcepta sunt principia practica ex terminis euidentia, aut conclusiones ex illis in consequentia necessaria illatę.

Secundæ tabulæ præcepta tam affirmatiua quàm negatiua de lege naturæ sunt, non strictè, sed largè sumpta. Non stricte, quia eorum, quæ ibi præcepta sunt, aut prohibita, non sunt principia practica simpliciter necessaria, nec cōclusiones simpliciter necessariæ, sed sunt de lege naturæ, communiter accipiendo.

Ius naturale tripliciter dicitur: Communiter, proprie, & magis proprie. Et secundū hoc tripliciter definitur. Vno modo sic: Ius naturale est, quod in Lege & Euangelio continetur. Sic definitur in principio Decreti. Sic habere cōcubinam, est contra ius naturale, quia est cōtra Legem & Euangelium. Reliquæ duæ definitiones nihil papistici habent.

Secundum morem naturales operationes, nec laudantur, nec uituperantur.

Lex naturalis potest mutari per legem diuinam & humanam.

Lex naturæ est obfuscata in hominibus, non quo ad omnia, sed quo ad multa.

Lex naturæ sic fuit aliquādo obfuscata apud

Ger-

Germanos, quōd homicidium non putarent esse peccatum.

Quæ lex naturalis dictat, quasi deriuata ex primis principijs eius, non habent uim coactiuam, per modum præcepti, nisi lege diuina uel humana sancita sunt.

DE LEGE DIVINA in genere.

Infra 74. a.

Lege Dei non damnatur naturalis imbecillitas, uidelicet concupiscentia.

Legi Dei satisfieri potest per nostra externa opera, item per conatum interiorem uoluntatis, etiamsi repugnet concupiscentia.

Homo postquam credit Euangelio, ita potest satisfacere legi Dei, ut suam ex operibus legis paratam iustitiam opponere queat diuinæ iræ pro peccatis.

Homines ante datam legem, lege naturę fuerunt iustificati: patres lege Mosaica, nos hodie Euangelicis legibus iustificamur.

Leges Dei consilia tantum sunt, pro perfectioribus data.

Lex uel saltem externè seruata, iustificat.

Lex non tota est abrogata ad iustitiam, sed tantum iudicialia & ceremonialia.

Caro legi Dei subdi potest.

Homines per se uiribus naturalibus possunt legi Dei satisfacere, quod ad substantiam actuum pertinet: gratiæ tamen interim hoc tribuitur, quód addit respectum meritorij.

Vetus Testamentum sublatum est, nec pertinet ad Christianos.

Non est causa abrogatæ legis Mosaicæ, quia impossibile fuit eam à nobis seruari.

Vetus Testamentum est, non typus Testamenti. Falsum est, Christum morte sua confirmásse uetus Testamentum.

Magnum discrimen est inter præcepta & cõsilia Euangelica.

Præcepta Dei sunt possibilia, nec uerum est, Deum impossibilia præcepisse.

Inf. 125. b Deus condescendens nostræ infirmitati, cõstituit homini mensuram eorum, ad quæ tenetur de necessitate, quæ est obseruatio præceptorum, ut de reliquo, hoc est, de operibus supererogatiuis possit satisfacere de commissis.

Plus etiã quãm lex exigit facere possumus.

Lex contenta est externa & ciuili iustitia.

Lege Dei tantum requiruntur ciuilia opera.

Deus lege diuina non requirit à quolibet Christiano summã perfectionem erga legem.

Duplex est ordo ad iustitiam, salutem, & uitam æternam à Deo institutus. Primus est necessarius, & hic est obseruantia præceptorum, secun-

ſecundum illud: Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Secundus eſt compendioſus & utilis, ſed non neceſſarius, ſicut eſt obſeruatio cõſiliorum Euangelicorum.

Lex diuina eſt ſignum uerum creaturæ rationali reuelatum notificatiuum rectę ratiocinationis diuinę, ualentis teneri illam ſeu ligari ad aliquid agendum, uel non agendum pro cõſecutione felicitatis æternæ.

Lex diuina ſumitur pro lege diuinitus inſpirata.

Lex diuina largè ſumpta, poteſt ſumi pro aliqua totali congregatione, non ſolum continẽte precepta & prohibitiones, ſed etiam conſilia & promiſſiones præmiorum, comminationes ſuppliciorum, & multa huiuſmodi.

Lex diuina eſt, quæ per diuinam reuelationem, per finem beatitudinis, eſt principaliter ordinata.

In lege purè diuina poſſunt quatuor gradus aſſignari. In primo ponuntur leges immediatè reuelatę à Deo pro tota cõmunitate hominum aut principaliori parte, ſcriptæ in Biblia, & preſertim in Euangelijs latis à Chriſto, ad beatitudinis conſecutionem.

In ſecundo gradu ponuntur leges diuinę, quę ex præcedentibus ſolis deducuntur in conſequentia euidenti.

In tertio gradu ponuntur leges diuinæ ex

prædictis deductę per successiuam relationem Apostolorum, & aliorum æquiualentem scripturæ canonicæ, sicut determinationes Ecclesiæ, quæ spiritusancto creditur regi.

In quarto gradu sunt leges specialiter inspiratæ & reuelatæ quibusdam singularibus personis pro se aut pro paucis ad hoc electis.

Lex diuina in quantum iustificat obseruantes eam, dicitur lex iustitiæ.

Quatuor sunt genera talium, quæ dicuntur ad ius diuinum pertinere. Primũ est genus eorum, quæ cõtinentur expresse in textib. canonicæ scripturę, ut: Quod in principio fecit deus cœlum & terram. Secundũ est eorũ, quę consequuntur consequenter clarè in consequentia necessaria & euidẽti apud omnem utentem rationem ex eis, quæ ibidem continentur. Tertium est eorum, quæ licet non consequanturin consequentia clara apud omnes utentes ratione, uel aliunde doctos, tamen apud exercitatos in sacris literis consequentia iudicatur optima uel sequela. Quarta est eorum, quæ per reuelationem factam Ecclesię constant, & hoc uel expresse, uel manifeste per prophetas, seu miraculosas attestationes, uel implicite per communem attestationem totius Ecclesię, uel concilij generalis eam sufficienter representãtis, ac per successionem legitimam deriuatam ad posteros, per eos, qui tales reuelationes habuerunt

mani

manifeste: ueritates oēs alię, tāto dicuntur magis pertinentes uel impertinentes ad theologiā & ſuos profeſſores, quanto proximius uel remotius poſſunt inferri ex prędictis.

Præcepta affirmatiua obligant ſemper, ſed non ad ſemper. Legatiua obligant ſemper & ad ſemper.

Lex dicitur à ligando, quia ligat, uel à legendo, quia ſcripta eſt.

Lex maximè reſpicit ordinem ad beatitudinem. Proprius effectus legis diuinæ eſt, inducere homines ad propriā eorum uirtutem, ideo & lex bonos facit.

Finis legis diuinæ eſt beatitudo æterna.

Lex diuina principaliter conſiderat iuſtum, & iniuſtum, in quantum per hoc ordinatur homo ad finem, qui eſt uita æterna.

Lex diuina aut obligat, aut conſulit.

Etiam lex uetus conferebat gratiam.

Finis ueteris legis fuit iuſtificatio.

Paulus loquens de lege, ſemper intelligenda eſt lex Moyſi tantum.

Præcepta quadruplicia ſunt: Primę neceſſitatis, ſecundæ neceſſitatis, tertiæ neceſſitatis, & quartæ neceſſitatis.

Præcepta primæ neceſſitatis ſunt, ſine quibus imago Dei, quæ homo eſt, non ſaluatur.

Præcepta ſecundæ neceſſitatis ſunt, quę à primo & naturaliter obligant in generali, &

non in ſpeciali, ut eſt, ſatisfacere pro peccatis.

Præcepta tertiæ neceſſitatis ſunt, quæ exactu humano obligant, ſicut uotum: uel quę obligant quoſdam, ſed non omnes, aut etiam omnes in caſu, ſicut conſilia.

Pręcepta quartæ neceſſitatis ſunt, quę prælati eccleſiarũ inſtituũt, ſcilicet quę inſtituit papa in eccleſia, aut archiepiſcopus in puincia ſua

Præcepta nouæ legis ſunt maiora, cũ ueteris.

Præcepta Dei ſpectant ad cauſam ſalutis.

Præcepta naturæ ſunt tantum de neceſſarijs ad ſalutem, ſed non ſunt ſatisfactoria.

Homo etiam poſt peccatum poteſt ſine gratia ſeruare oia p̃cepta Dei, quoad ſubſtantiam actus. In lege diuina non datur præceptũ de fide ſimpliciter, ſed de quibuſdam credẽdis, quia fides præcedit præcepta.

Inter præcepta legis diuinæ, quædam ſunt præambula legi, ſicut pręcepta de fide & ſpe.

In lege Dei non datur præceptum contra deſperationem.

Præcepta legis diuinæ, maximè & principaliter ſunt de iuſtitia.

Leges diuinæ ordinatæ ſunt ad purificandũ cor, & ad bonam conſcientiam.

Præcepta Eccleſiæ habent eandem uim obligandi, quam præcepta diuina.

Ad pręlatos eccleſię pertinet, dare pręcepta in ſpiritualibus.

Ma-

Magnis uiris non de facili debet fieri præceptum.

Præceptum de occidendo hominem etiam apud Deum ipsum est indispensabile.

DE LEGIBVS MOsaicis Moralibus.

Sunt quædam Ecclesiæ traditiones, quæ cū legibus Moralibus conferri possunt.

In decalogo sufficientia opera præscripta fuerunt pro iudaico populo: ast pro Christianis fuerunt quædam opera per pontifices addenda.

Moralia precepta non sufficiunt ad uerum & perfectum Dei cultum præstandum.

Morales leges iustificant, etsi hoc ipsum uel Iudiciales uel Ceremoniales non faciunt.

Leges morales non sunt abrogatæ, sed adhuc conducibiles sunt ad iustitiam coram Deo

Apostolus in priore epistola ad Corinth. literæ nomine non intellexit leges Morales.

Moralia præcepta nō sunt abrogata in causa iustificationis.

Sabbatum significat diei septimi religionē, unde errant, & qui aliter dicunt, & qui sentiunt sabbatum significare spiritualem requiem ab operibus malis.

Precepta decalogi non ſunt data, niſi iis, qui ſunt in ſtatu perfectionis, quia præceptũ (Non concupiſces) nullum conuenit ſeruare, niſi in ſtatu perfectionis, multo igitur minus alia grauiora.

Præcepta decalogi non obligant hominem ad obſeruantiam eius in charitate ſimpliciter, ſed bene ad obſeruantiam formatam aſtringit conditionaliter decalogus, quia ſi obligarent, quicunq; facerent actum moralem, uel benefaciendo patri, uel paſcendo pauperem, non habens charitatem, peccaret. In quolibet etiam momento non habens charitatem eſſet tranſgreſſor præcepti. Qui uerõ ſeruat decalogũ ex charitate, meretur uitam æternam.

Moralia in tantum ſunt determinabilia lege, hoc eſt, in præcepto, in quantum pertinet ad iuſtitiam.

DE LEGIBVS MOSAICIS, Ceremonialibus, & Iudicialibus.

In ueteri Teſtamento leges Ceremoniales iuſtificarunt homines, quia continuerũt ſub ſe ſacrificia pro peccatis.

Circumciſio data fuit propter iuſtificationẽ impetrandam.

In

In nouo Testamento non ualent quidem amplius pro peccatis sacrificia Mosis, sed nouum Testamentum habet noua sacrificia pro peccatis: uidelicet sacrificium Missæ.

Christiani non ab omnibus ceremonialibus Mosaicis sunt liberi.

He leges non iustificant, reliquæ iustificant. Nam Paulus cum loquitur de operibus legis, non de tota lege intelligendus est, sed de Leuiticis ceremonijs tantum.

Præcepta ceremonialia fuerunt usq; ad passionem Christi, hoc est, uitam dare potuerunt præstantibus ea.

Vide infrà locum de sacrificio, Leges Iudiciales quia non immediata nec directa intentione, ordinant ad finem ultimum & supernaturalem, ideo non sunt propriè leges diuinæ.

DE EVANGELIO.

Homines ante datam legem, loco Euangelij legem naturæ habuerunt, Iudæi legem Mosis, nos Christi Euangelium habemus.

Patrum scripta cum Euangelio conferri debent.

Doctrina Euangelij non est dignior doctrina legis.

Euangelium etiam dubitantibus promittit remissionem peccatorum.

Euangelium non est gratuita sed legalis seu conditionalis promissio.

Euangelium pendet ex conditione legis.

Euangelium etiam dubitationem admittit.

Euangelium habet conditionem legis, tanquam causam aut meritum.

Euangelium remissionem peccatorum non gratis, sed propter legem affert.

Frustra seruatur Euangelium, nisi seruentur Canones Conciliorum.

Nec sunt plura Euangelia, nec plures Euangelistæ, quàm quatuor, nec ullius alterius scriptamerentur Euangelia Dei.

Nouum Testamentum est promissio omnium bonorum cum lege, & cum iustitiarum nostrarum respectu, cum conditione, qua exigitur à nobis ea obedientia, qua iustificamur.

Præcepta noui Testamenti, urgentia sunt, quæ urgent opera ad iustitiam necessaria.

Euangelium multa præcipit, nec uerum est, Euangelium exhortari, consolari, & obsecrare tantum.

Falsum est, Christum omnem pœnam in nouo Testamento sustulisse.

Impium est dicere, Euangelium nihil aliud esse, quàm prædicationem de resurrectione Christi,

Christi, non requirentem opera ad iustificationem.

Falsè distinguunt inter legem & Euangelium, qui dicunt Euangelij rationem per ueteris & noui Testamenti libros sparsam esse

Euangelium id putandum est, quod scripserunt Matthęus, Marcus, Lucas & Ioannes, nec uerum est, Euangelium in ueteri Testamento sparsum esse.

Magnum discrimen est inter præcepta & cõsilia euangelica.

Multa sunt consilia euangelica, nec uerum est, tantum unum esse, scilicet uirginitatis consilium.

Possibile est, ut consilium Euangelicum fiat præceptum.

Euangelio & iuri Canonico optimè conuenit.

Euangelium habet mandatum imponendi pœnas & nouas leges, aut partem pœnarum imponendi, parte remissa.

Euangelium paucissimas habet traditiones, quia Christus promisit spiritum sanctum, qui debuit Ecclesiæ necessarias ceremonias reuelare & ordinare.

Lex Euangelica tripliciter iustificat & facit hominem dignum uita æterna. Primo per fidem, in quantum credit Iesum Christum esse

uerum

uerum deum & hominem, & redemptorem totius generis humani Messiam in lege promissum. Secundo iustificat per charitatem perfectam erga Deum & proximum. Tertio per spem in quantum contemptis rebus terrenis ponit finem suum in cœlestibus à Christo promissis, & sic nõ operatur propter aliquod præmium temporale, sed propter uitam æternam promissam &c.

Lex Euangelica potest sumi pro ueritatis uel obiecti intellectuali cognitione, unde non minus propriè dicitur lex uel preceptum, uel prohibitio ipsa cognitio agendorum, uel nõ agendorum, quam ipsa ueritas enuncians quid agendum, uel non agendum. Hæc autem cognitio potest esse multiplex, quia uel solum apprehensiua uel iudicatiua. Et si iudicatiua, uel cum formidine, uel cum certitudine. Et si cum certitudine, uel potest esse habitualis, uel actualis, uel ab habitu acquisito solum, uel ab habitu etiam infuso.

Lex Euangelij proprijssimè dici potest fides infusa, uel actus eius, quo creatura rationalis firmiter assentit doctrinæ Christianæ ueritatibus.

Non omnia quæ credenda sunt, docentur in Euangelio. Vnde Christum descendisse ad inferna, non docetur in Euangelio, & tamen tenendum est sicut articulus fidei. Item multa

alia

alia de sacramentis ecclesiæ non sunt expressa in Euangelio, & tamen Ecclesia tenet illa esse tradita certitudinaliter ab apostolis, & periculosum est circa illa errare, quæ non tantũ ab apostolis descendunt per scripta, sed etiam quę per consuetudinem uniuersalis ecclesię tenenda sunt. Nec Christus in Euangelio docuit omnia pertinentia ad dispensationem sacramentorum, dixit enim discipulis suis in Ioanne: Adhuc habeo multa uobis dicere, sed non potestis portare modo: cum autem uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Multa igitur docuit eos spiritussanctus, quæ non sunt scripta in Euangelio, & illa multa quędam per consuetudinem tradiderunt apostoli, quædam per scripturam.

In omnem terram exiuit sonus eorum, id est, Euangelium per totum terrarum orbem prædicatum fuit, id tamen sic moderandum est, ne intelligas Euangeliũ ad Hunnos & Gotthos transijsse, qui habitarunt in orbe ignoto, & inaccessibili, ultra Meoticas paludes. Tamen in die natiuitatis Domini omnia idola eorum clamauerunt regem pacis, & Domini totius mundi fuisse natum in medio mundi. Et sic congregati omnes Hunni atq; Gotthi, duobus agminibus factis, relictis sedibus transierunt Meoticas paludes super aquas glaciales, & sic peruenerunt ad partes nostras, & per successionem

cessionem temporis baptismum susceperunt. Et hoc idem factum est apud Aethyopes. Vnde Virgilius in sexto. Huius in aduentu:iam nunc & Caspia regna, Responsis horrent diuum & Meotica tellus, Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.

De consilijs Euangelicis, uide infrà locum de concilijs & consilijs.

Lex uetus non conferebat gratiam, sed lex noua confert.

Lex Euangelica supra precepta addit & consilia.

Lex Euangelica immediate ducit ad ultimũ finem.

Dignitas Euangelij etiã ex ministris pendet.

Euangelium est dignior doctrina, quàm cereræ, igitur à diacono tantum cantatur, Epistola à subdiacono.

DE FIDE ET DVBITATIONE.

Fides cum peccato mortali subsistere potest.

Fides est notitia historiæ de Christo, quomodo conceptus, natus, passus, crucifixus & mortuus est.

Fides est qualitas in nobis.

Pij cum impijs communem fidem habere possunt.

Fides

Fides est principium seu causa adferens alias uirtutes, propter quas iustificamur.

A nostra dilectione ordiendum est, ut ad fidem pertingamus.

Fides diuiditur in fidem formatam, acquisitam, & infusam.

Fidem formatam etiam impię gentes habere possunt, nisi carent charitatis operibus.

Fides infusa non iustificat, nisi charitate formata est.

Fides ut qualitas & uirtus in nobis iustificat.

Fides iustificat ex opere operato.

Fides cum dubitatione subsistere potest, & iustificare.

Fides magis principaliter iustificat, bona opera minus principaliter.

Fides non potest iustificare, quia in intellectu est, iustitia autem in uoluntate.

Licet dubitare, an contingat nobis remissio peccatorum, & an simus accepti, & an simus consecuturi uitam æternam.

Fide ut qualitate seu uirtute in nobis iustificamur.

Fides infusa non operatur sine acquisita.

Fides acquisita intelligitur ex dicto Pauli, ad Ro. 10. Fides ex auditu est &c.

Homo extra fidem positus, non semper necessariò habet obicem gratiæ.

Fides

Fides infusa non est satis ad iustificationem Impij.

Fides est etiam rerum præteritarum.

Definitio fidei in Apostolo de rebus præteritis intelligenda est.

Fides stabilitur, quando prædicantur opera ad iustitiam esse necessaria.

Non satis est ad iustitiam coram Deo, credere, quòd Christus Dominus noster nos saluauerit & redemerit, imò requiritur ad illam fidem scientia sine errore perfecta.

Nihil unquam peius dici potuit, quâm ibi nullum nocere peccatum, ubi fides est.

Non rectè iudicant, qui statuunt incredulitatem esse fontem peccatorum, nec esse illo aliud maius.

Non est eleuanda fides super omnes uirtutes.

Falsum est, omnia peccata absorberi per fidem.

Fides non præfertur charitati.

Fides non tantum est rerum futurarum, sed etiam præteritarum.

Fides acquisita res est scripturæ notissima.

Fides non præcedit charitatem, sed fidem charitas.

Nihil obest Christiano, etsi incertus sit, an sit in gratia Dei, aut an opera sua placeant Deo.

Dubitans non peccat, nec perdit opera sua.

Falsissima

Falsissima sententia est, credẽtes esse semper certissimos posse de remissiõe peccati, & nosse se esse in gratia, & sibi condonata esse peccata.

Actus fidei & spei non confunduntur aut permiscentur sæpe in scriptura.

Aliud est habitus, aliud est actus, ideo fides non est motus cordis, qui credere uocatur.

Fides infusa est uocabulum scripturæ.

Homines etiam ad fidem cogi debent.

Fides est principium iustificationis, seu præparatio ad iustificationem, non quæ iustificat, nam opera quæ sequuntur iustificant.

Fides laudatur, nõ tam quia iustificat, quàm quia est principium iustificationis.

Ex fide non potest esse iustitia, quia de fide incerti sumus, nec scimus quando satis fidei ad iustificationem habemus.

Christus ait apud Lucam: Cum feceritis omnia, dicite, serui inutiles sumus &c. Ast multõ magis dici potest: Si credideritis omnia, dicite, serui inutiles sumus &c. Luc. 17.

In aĩa sunt duę fides: acquisita & infusa. Acquisita est, quę paratur institutiõe & usu, neluti si puer semel dicat unũ fidei articulũ, & manet aliquid hęrere in anima, ubi bis dicit, plus manet, & sic sępius dicendo, semp plus manet &c. donec habitũ induat. Infusa est, quæ à Deo infunditur, & quę per fidẽ acquisitã prouocatur.

Falsa est sententia. Credenti nihil potest nocere.

In articulis fidei non aliter agendum est, atq; in moribus uitæ, quæ alterari, mutari & corrigi possunt. Eccius.

Fides uirtus est, non supra alias, sed eodem subsellio posita.

Fides non habet aliam functionem ab alijs uirtutibus distinctam.

Non rectè dicitur, fidem esse sine operibus fontem salientem in uitam æternam.

Periculosa est nimia fidei prædicatio, quia per illam derogatur ceremonijs ecclesiæ.

Fides etiam informis facit attritũ ad Deum accedere & cogit.

Fides apud sacras literas duplex est, altera charitati iungitur, altera sine illa inuenitur, quam nos fidem informem dicimus, iustus inquit Apostolus, ex fide uiuit, scilicet charitate coniuncta. De altera loquitur idem Apostolus, 1. Corinth. 13. Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.

Fides sine charitate informis existit.

Fides formata in peccatore nunquam à contritione separatur.

Fides aliquando accipitur pro actu, aliquando pro habitu, aliquando pro obiecto. Pro actu est assensus reuelatæ ueritatis. Pro habitu est habitus ex huiusmodi assensibus frequentatis

tatis acquisitus, uel immediate à Deo infusus, inclinans in intellectum ad assentiendum ueritatibus reuelatis. Pro obiecto est ueritas credita, aut uel per ipsum significata. De prima dicitur: Fides ex auditu est, ad Romanos decimo. De secunda ad Hebræos undecimo: Sine fide placere Deo, impossibile est, quod de habituali intelligendum est. De tertia, priore ad Timoth. tertio: Enutritus uerbis fidei, id est, ueritatum credendarum.

Fides in paruulis, nec habitus est, nec actus fidei elicitus aut imperatus.

Fides etiam sæpe accipitur pro intentione faciendi. Non enim aliter requiritur fides ad efficaciam sacramenti, nisi quod exhibeatur intentione hoc faciendi, quod Deus instituit, & talis intentio fides dicitur.

Fides tam actualis quàm habitualis rursum potest subdiuidi, in fidem formatam & informem. Fides enim accipitur pro eo quod creditur, id est uirtus, & pro eo quod creditur, & sic non est uirtus. Fides autem uirtus est, quæ charitate formatur. Illa uerò quæ sine charitate est, non est uirtus, sed est inanis & mortua.

Porrò credimus fide actuali & habituali. Actuali formaliter, habituali tanquam dispositione nos disponente, id est, concausante & inclinante ad actum credendi firmius eliciendum.

Potest & fides diuidi secundũ easdem acceptiones in fidem acquisitã & in fidem iũfusam.

Fides secundum tertiam acceptionem potest subdiuidi multipliciter secundum diuersitatem articulorum ueritatum credendarum.

Fides est uirtus, qua creditur quod non uidetur, quod ad religionem pertinet. Et datur intelligi de habituali formata.

Fides est certitudo, id est, certa cognitio quędam animi de rebus absentibus supra opinionem & infra scientiam constituta. Hæc definitio est generalis conueniens actuali, habituali, infusæ & acquisitæ.

Fides est ratio simplex ueritatis per se existentis.

Actus fidei est credere, qui est actus intellectus uero assentientis, procedens ex uoluntatis imperio.

Definitio fidei ad Hebræos 11. intelligenda est de fide formata, quæ est substantia rerum sperandarum, id est, inchoatio quædam, causa uel fundamentum assequendi res sperandas in beatitudine.

Fides est habitus mentis, quo inchoatur uita æterna in nobis faciens intellectum assentire non apparentibus.

Fides uiua est credere Dei ueritatem, & cum hoc eum amare & timere per affectionem.

Fides est quædam acquisita, quædam infusa,

sa. Fides acquisita est habitus naturaliter acquisitus, ex actibus credendi frequentitatis. Fides infusa est habitus à Deo supernaturaliter & immediate in anima creatus. Est autem fides infusa habitus, hoc est, qualitas producta à deo in anima, inclinans ad eosdem actus mediate uel imediate, ad quos inclinat habitus acquisitus.

Fides acquisita sic differt à fide infusa: Fides infusa est unica circa omnes articulos credendos, nō sic fides acquisita. Item differunt, quia fides infusa corrumpitur per quemcunq; errorem, circa quemcunq; articulum. Fides acquisita stat cum errore respectu alterius articuli uel obiecti.

Fides acquisita ad credendum articulos fidei est necessaria, quia fides ex auditu est. Ad credendum articulos fidei necesse est credere Ecclesiæ, hoc est, credere Ecclesiam esse uera-cem.

Naturali ratione probari non potest, fidem infusam ad credendum articulos fidei esse necessariam, quia ad credendum omnia credibilia, sufficit fides acquisita, ergo non est alia necessaria.

Potest etiam quis firmiter adhærere ueritati, sine fide infusa.

Item fides infusa in actu primo perficit intellectu, est enim ipsa perfectior acquisita, imò quocunque habitu naturaliter acquisito, puta

scientia, sapientia, prudentia naturaliter acquisita.

Fides acquisita dicitur corrumpi per errorem circa eundem articulum. Impossibile est enim, quod quis eundem articulum simul credat & discredat. Stat tamen simul actus credendi unum articulum cum errore circa aliũ. ~~Sic & habitus fidei acquisitæ, per habitum erroris contrarij corrumpitur, uel per longam negligentiam eliciendi actum suum circa proprium obiectum propter defectum conseruantis.~~

Supra 48.

~~Fides infusa per quamlibet hæresim corrumpitur, alioqui idem esset fidelis & hæreticus.~~

Fides duplex est, informis & formata.

Fides informis est, quæ est in aliquo sine charitate. Hæc fides informis non placet Deo, tanquam meritorium ~~ex condigno~~, bene tamen placet Deo, sicut ~~dispositum de congruo~~. Dicitur & hæc fides ~~mortua~~, non ideo quia caret utilitate & efficacia, sed quia caret uita gratuita, quæ est uita perfecta, & ideo fides informis non est proprie uirtus, sed largè.

fides mortua non charitate

Supra 50.

1.ª Omnis fides acquisita ~~est uirtus~~ intellectualis, quia omnis talis causatur ab actibus intellectus elicitis, scilicet assentire uero certo ex auctoritate testis. Et etiam omnis fides acquisita est uirtus moralis, capiendo uirtutem, & diuiditur

fides a. 7. de ueri.

2.ª

ditur in politicam, quæ est habitus acquisitus, & gratuitam, quæ est habitus infusus, quia acquiritur ex actibus imperatis.

Fides formata dicitur, quę est cum charitate & operibus bonis, uel est cui in eodem subiecto seu in eadem anima assistit charitas.

Fides quæ per charitatem operatur, est principium sufficiens ad salutem, dum tamen habens legem, obseruet &c.

Dæmones credunt actuali fide ex signis & cõiecturis, etiam ex scriptura, quam nouerũt, & ex illis actibus credendi generatur in eis habitus.

Angeli ante lapsum non habuerunt fidem infusam. Circa hanc propositionem (fides est necessaria ad salutem) non solum cadunt propositiones necessariæ, sed etiam contingentes.

Fidelis legens literaliter Canonem Bibliæ, & capiens eius sensum, acquirit plures fidei habitus, & nullum scientificum. Canon enim Bibliæ non est traditus per modum scientiæ demonstratiuæ, ut ex principijs euidentibus deducantur conclusiones, quibus assentiatur propter principia ex quibus deducantur, ergo legens non acquirit habitum scientiæ.

Specialis fidei actus sunt quatuor. Primus est credendo amare. Secundus est cre-

dendo in Deum ire. Tertius est credendo ei adhærere. Quartus est credendo membris eius incorporari. Secundus actus fidei est exterior confessio. Tertius actus fidei est mortis susceptio. Quartus actus fidei est triumphatio &cæt.

Fides est duplex, explicita & implicita.

Fides explicita est actualis assensus Catholicæ ueritatis, siue uniuersalis siue particularis. Sic quicunque apprehendit aliquam ueritatem catholicam, & ei assentit, habet fidem explicitam illius ueritatis, ut assensus illius. Omnere uelatum ex Deo uerum est.

Canon Bibliæ est uerus. Christus satiauit quinq; milia ex quinq; panibus & duobus piscibus. Fides implicita est fides habitualis uel actualis assensus alicuius propositionis generalis, multas particulares ueritates in se includentis. Dicitur enim propositio uniuersalis uel generalis includere omnes illas particulares, quæ ex ea inferri possunt in bona consequentia immediate aut mediate uera coassumptio. Exemplum. Vt assensus huius. Omne contentum in scriptura Canonica est uerum, est fides implicita, non quidem illius. Omne contentum in scriptura &c. sed omnium particularium ueritatum in Canone contentarum, ut illius. In principio creauit Deus cœlũ & terram. Adam eiectus est de paradiso.

Christus

Christus descendit de cœlo &c. Omnis autem fides habitualis est fides implicitæ ueritatis, ad cuius assensum inclinat. Item, eadem fides actualis est implicita & explicita respectu diuersorum. Nam assentiens illi: Quicquid credit Ecclesia, est ueritas catholica. Et habet fidem implicitam omnium ueritatum, quas credit Ecclesia. Nam assentiendo huic explicite. Quicquid credit Ecclesia &c. Implicitè assentit omnibus ueritatibus, quę ex illa deduci possunt, sicut huic: Euangelium cõtinet catholicam ueritatem. Item habens fidem infusam omnia credibilia credit implicitè, etiamsi actu nihil apprehendat &c.

Fideles sunt duplices in Ecclesia: quidã maiores, ut pastores Ecclesię, prelati &c. quidam minores, ut subditi & simplices.

Sicut saluandis omnibus necessaria est fides infusa pro quolibet statu Ecclesiæ, ita & actus fidei adultis utentibus ratione ad salutem necessarius est.

Sicut prudentia est auriga actuum uirtuosorum, ita fides actuum meritoriorum. Necessarius itaq; est omnibus ratione utentibus actus fidei aliquando ea necessitate, quia eis necessarius est actus meritorius.

Licet in ueteri Testamento eadem fuerit nostra & patrum infusa fides, tamen acquisita nõ fuit eadem. Quãnquam & hoc uerum sit, quòd

quōd nostra & patrum fides acquisita eadem fuerit, respectu certorum articulorum, puta, articuli creationis mundi, lapsus primi hominis, futuri iudicij, sed non quo ad omnes articulos fidei.

Propositiones creditæ ā patribus distinguūtur à creditis à nobis.

Supra 52 b. Generaliter credere fuit necessariū omni homini, licet non particulariter, & explicitè. Credere inquam in genere, quemadmodū deus ordinarat uiam aliquā redemptionis per aliquem mediatorem, etiam ignorando, per quem, an per uerbum Dei, uel per angelum, aut aliū modum, & istud generaliter credere fuit necessarium omni homini ad salutē post lapsum. In lege aūt reuelatę ueritatis Euangelicę, adhuc magis particulariter credere tenemur plus uel minus secundum diuersos status hominum, quàm in lege Mosaica & naturæ.

Supra 53 a. Omnia Ecclesiæ membra pro statu legis Euangelicę eadem tenentur credere, non quidem explicite, sed implicite.

Minores, hoc est, laici non tenentur credere quod clerici literati & alij.

Et licet simplices & minores non tenentur circa singula credibilia particularia explicitam habere fidem, tenentur tamen omnes particulares errores, ne pertinaciter adhæreant, cauere.

Etsi

Etsi quidam adeò obtusi sint, quòd articulos in symbolo ordinatos non possint credere, sufficiat eis, quòd omnes & singulos explicite credunt, dum eis proponuntur &c.

Fides potest esse informis.

Ad Heb. cap. 11. dicitur fides argumentum, id est, arguens mentem.

Fides est habitus informatus charitate ad iustitiam. Sola fides non habet meritum, reliquæ uirtutes habent.

Fides acquiritur per scientiam theologiæ.

Fides est proprie uirtus theologica.

Fides etiam fit ex uehementi opinione, aut est uehemens opinio.

Fides est quasi habitus theologiæ.

Initium fidei ex nobis est, confirmatio uerò ex Deo.

Per fidem formatã mundamur à peccatis.

Sãcti patres, dum hic uiuerent, liberati sunt per fidem Christi ab omni peccato, & à reatu pœnæ actualium, non autem à reatu peccati &c.

Motus fidei includitur in motu charitatis.

Fides dirigit intentionem, sed charitas facit intentionem meritoriam.

Fides compatitur motum dubitationis.

Fides, scientia, & opinio possunt esse de eodem materialiter simul.

Dubitatio infidelitatis in matre Christi non fuit

fuit, licet in alijs esse possit, sine incommodo, potest enim cum dubitatione existere.

DE IVSTIFICATIONE seu iustitia.

Per Christum accipimus generalem iustitiā, ut autem salui fiamus, opus habemus speciali iustitia ex proprijs operibus parata.

Exp. 51. a Iustificatio significat in nobis qualitatē aut uirtutem seu infusionē habitus, ut facilius per opera ad iustitiam perueniamus.

Patres ante datam legem, lege naturæ fuerunt iustificati, Iudęi lege Mosaica, nos nostris quibusdam legibus iustificamur.

~~Iustificationis causę sunt, opera nostra, merita, & dignitates nostrę.~~

~~Homines merentur iustificationem ex meri to congruo & condigno.~~

Homines merentur iustificationem actu elicito, faciendo, quod in se est, hoc est, si ratio dolet de peccato, elicit actum dilectionis Dei, aut bene operatur propter Deum, unde postea sequitur iustificatio.

Deus non requirit aliam iustitiam pro peccatis, quàm iustitiam rationis & nostrarum uirium.

Rationis, Mosis, & Euangelij iustitia, nihil in ter

ter se differunt, aut parum admodum.

Contritio & dilectio satis sunt ad iustificationem.

Paulus & sic scriptura, quando dicit nos fide iustificari, sic est intelligendum, id est, tota doctrina religionis, & sic etiam lege.

Iustificatio non est gratuita, sed est legalis et conditionalis.

In accipienda iustitia & misericordia dei, nihil officit dubitare, nam homo nescit, utrum amore, uel odio dignus sit.

Iustificantur homines propter benefacta sua, propter qualitates ac uirtutes proprias.

Scriptura prædicat nos iustificari, propter nostram dignitatem, opera, habitus, uirtutes.

Iustificari in scriptura, significat nouas habere uirtutes, propter quas iustificamur.

Apostolus ait: Si dilectionem non habeam, nihil sum: ergo opera dilectionis iustificant:

Dilectio est maxima: ergo dilectione iustificamur.

Iacobus ait: Videtis igitur, quōd ex operibus iustificatur homo, non ex fide solum: ergo opera iustificant.

Remittite, & remittetur uobis: ergo propter nostram remissionem, ut opus, remissionē peccatorum accipimus.

Redime peccata tua iustitia, & beneficijs erga pauperes, & erit sanatio delictorum tuorū,

ergo

ergo propter nostra opera iustificamur.

Opera contra legem Dei sunt peccata: igitur bona opera sunt iustitia.

Bona opera sunt obedientia erga totam legem, igitur bona opera iustificant.

Peccatum est odium Dei, igitur dilectio est iustitia. Iustitia est in uoluntate, fides aũt in intellectu, igitur non iustificamur fide.

Sup. 54. ~~Fides ut notitia~~ est in prædicamento qualitatis: igitur fides non iustificat, cum non sit fiducia in misericordiam Dei.

Iusti efficimur iusta operando.

Falsum est, iustũ in omni bono opere peccare. Iustus manente iustitia non potest peccare mortaliter.

Iustitia à dilectione ordienda est.

Iustitia est obseruatio certorum rituum &c.

Homines reputantur iusti, propter iustitiam rationis.

= 54. ~~Iustificationis initium est fides, seu præparatio~~ ad iustificationem: opera autem, quæ fidem sequuntur, iustificant.

Opera legis nõ iustificant, sed opera Euãgelij.

Apostolus ubi dicit opera legis non iustificare, intelligendus est semper de Leuiticis ceremonijs, non de tota lege.

Sup. 48. Iustificatio non potest esse ~~ex fide~~, alioqui esset incerta, quia nunquam certi sumus de fide, quando satis fidei habemus.

Pau

Paulus dicit. Si omnem fidem habeam &c. Ergo fides non iustificat.

Priore ad Corint. 13. Maior horum dilectio est, ergo dilectio, non fides iustificat.

Iustitia est obedientia erga legem, quæ est in nostris uiribus.

Ad Col. 3. Charitas est uinculum perfectionis: ergo charitatis opera iustificant.

Petrus ait: Vniuersa delicta tegit charitas: ergo charitatis opera iustificant.

Danie. 4. Peccata tua eleemosynis redime.

Esa. 48. Frange esurienti panem tuum, tunc inuocabis, & dominus exaudiet: ergo charitatis opera iustificant.

Tobias ait: Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat: ergo &c.

Meritum condigni efficit homines iustos coram Deo, propter dilectionem & impletionē legis. Locus Lucę sic intelligendus est de operibus: Cum omnia feceritis, dicite: serui inutiles sumus. Opera inutilia sunt Deo, nobis uerò non sunt inutilia. Luc. 17.

Vita æterna de condigno debetur pro bonis operibus, quia uita æterna uocatur merces.

Sorites scholasticus.

Bona opera sunt pretium, pro quo debetur uita æterna. Bona opera legi Dei satisfaciunt. Et ~~præterhæc fieri possunt opera superero~~ gationis. Nō solū igitur legi Dei homines satis

fac-

facere possunt, sed etiã amplius facere. Et quia monachi amplius faciunt, supersunt eis merita. Et quoniam liberalitas est, largiri alijs, de eo quod superest, licet donare illa merita alijs.

Bona opera placent Deo propter gratiam; ergo bonis operibus fidendum est pro iustitia.

Item, Confidendum est gratiæ, id est, dilectioni, qua nos Deum diligimus.

Bona opera ualent uirtute passionis Christi; ergo bona opera iustificant.

Ante mille annos, tempore Augustini, damnata est opinio, remissionem peccatorum gratis contingere.

Iustitia Christiana, etsi non omnino, tamen maximè operibus constat.

Timor est in iustificatione, sicut dicitur præparatio ad iustitiam dolor, ut infusio iustitiæ.

Sicut peccatum uoluntarium est, et consistit in uoluntate, sic in uoluntate est iustitia.

Duplex à Deo ordo institutus est ad iustitiam, sicut & ad uitam æternam, seu salutem. Primus est necessarius, & hic est obseruantia præceptorum, secundum illud: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata.

Secundus est compendiosus & utilis, sed nõ necessarius, sicut obseruatio consiliorum Euangelicorum.

Lex Euangelica tripliciter iustificat, & facit hominem dignum uita æterna. Primo per fidẽ in

quantum credit Iesum Christum esse uerũ Deum & hominem, & redemptorem totius generis humani, Messiam promissum in lege. Secũdo iustificat per charitatem perfectam erga deum & proximum. Tertio per spem, in quantũ rebus contemptis terrenis, ponit finem suum in cœlestibus à Christo promissis. Et sic non operatur propter aliquod præmium temporale, sed propter uitam æternam promissam.

In habentibus usum rationis non sufficit meritum Christi ad iustitiam seu remissionem peccatorum, sicut in non habentibus, qui merito redemptoris saluantur, & iustificantur, et non in proprio merito, sed necesse est, etiam addere proprium meritũ, iuxta illud: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata.

Iustitia hominis est rectitudo, qua homo iustificatur in conspectu Dei, & sic sumitur iustitia pro charitate.

Iustitia est habitus, per quem iustorum operationes fiunt.

Iustitia hominis, qua acquiritur regnũ cœlorum, cõsistit in trib. in mundicia cordis, operatione bonorũ, & patiẽtia in aduersis ꝓpter deũ.

Item uera iustitia consistit in corde, locutione & operatione exteriori, & hoc tam in præceptis affirmatiuis, quàm negatiuis.

Iustitia Euangelica excellit & præstat iustitia ueteris Testamẽti, nam hoc prohibebat mã

num & operationem malam, sed ista prohibet animum, & linguam & manum, scilicet propositum, locutionem, & operationem malam.

Iustitia est triplex: innata, acquisita, & infusa. Iustitia innata, uel naturalis est ipsa uoluntas nostra, uel rectitudo naturalis, uel ipsamet libertas uoluntatis, quæ naturaliter inclinatur ad bonum & honestum.

Acquisita potest dici quæcunq; moralis uirtus, per quam possumus rectè agere, & hoc modo iustitia est uirtus communis.

Iustitia infusa, quæ dicitur gratuita, id est, charitas. Et dicitur theologicalis, quæ nominatur charitas, & est decor omnium uirtutum, & est sufficiens ad beatitudinem.

Iustitia dicitur à iuxta, & illa operatio dicitur iusta, quæ fit iuxta legem.

Iustificare multipliciter accipitur. Vno modo effectiuè, & sic solus Deus dicitur iustificare. Alio modo formaliter, & sic gratia dicitur iustificare, quæ informat ipsam animam, expellendo iniquitatem culpæ, & dando rectitudinem iustitiæ. Tertio modo non solum in habitu, uerum etiam in effectu, & sic charitas iustificat, siue fides, quæ per charitatem operatur. Quarto modo dicitur aliquid iustificans in ipsius iustitiæ exercitatione & usu, & hoc modo mandata Dei, in quibus iustitia exercetur, iustificare dicuntur. Item legi Euangelicæ com-

pe-

petit iustificare secundum triplicem modum, uidelicet formaliter, ratione gratiæ sacramentalis, & in effectu, ratione amoris spiritualis, & exercitio ratione multiplicis boni operis, ad quod dirigitur homo & per consilia, & per precepta.

Iustificatio est quædam dispositio in iustificato à iustificante effectiuè, sed à iustitia formaliter, quæ in hoc uocatur charitas.

Iustificatio impij fit per infusionem gratiæ, & charitatis, per quam peccatori remittuntur peccata, ipsecq; gratificatur Deo, & Ecclesiæ incorporatur, ut membrum uiuens, non tantum numero, sed & merito. Hanc autem iustificationem per infusam charitatem sequitur cõmunio sanctorum, quo peccator iustificatus participat omnia bona sanctorum omnium. Charitas enim (quæ non quærit quæ sua sunt) omnia facit communia.

Sola hæc quatuor necessaria sunt ad iustificationem, scilicet: gratiæ infusio, motus liberi arbitrij, contritio, & peccati expulsio.

Secundum speciale priuilegium potest Deus iustificare sine omni præparatione, uerum secundum legem cõmunem iustificat, nisi eos qui se præparant.

Quemadmodum quatuor concurrunt quãdo ex uno elemento fit aliud, scilicet unius formę corruptio & alterius generatio, & dispoſi-

tio ad corruptionē unius, & dispositio ad generationem alterius, ita & de impio, cū fit iustus, quatuor requirūtur: impietatis destructio, quę est culpæ remissio, & gratiæ infusio, & dispositio ad destructionem impietatis, quæ est culpę detestatio, & dispositio ad susceptionē gratiæ, quæ est liberi arbitrij ad Deum conuersio.

Licet infusio gratiæ pertineat ad iustificationem impij, oportet tamen præcedere conuersionem uoluntatis ad Deum, tempore uel natura, qua conuersione disponatur anima ad susceptionem gratiæ, qua formaliter iustificatur. Et hoc est de lege communi.

Quamuis iustificatio impij sit supernaturalis, tamen non miraculosa est, sed quæ fit de lege communi, ubi requiritur aliqua dispositio in adulto, qui iustificatur, quamuis effectiuè fiat per potentiam supernaturalis agentis.

Iustificatio autem impij præter legem communem, quæ fit, si dominus iustificat adultum aliquē, qui prius se nō disposuit, miraculosa est.

In peccatoribus præcedit aliquid, quo digni sunt iustificatiōe, id est, Deus cōmuniter nō dat istum effectum misericordiæ, id est, iustificationem, nisi præcedat uoluntas pœnitendi, ita quōd Deus misericorditer disposuit, quod cuilibet habenti sufficientem attritionem per pœnitentiam, dabit gratiam iustificationis.

Iu-

Iustus est, qui præditus est iustitia, uel qui seruat etiam iustitiam, uel qui custodit mandata Dei.

Homo ut sit simpliciter iustus seu iustificatus ad ultimam felicitatem, seu uitam æternam consequendam, quatuor sunt illi necessaria. Primo, quòd mundetur ab omni macula & culpa præterita. Secundo, quòd possit uitare futura peccata, & si committit, quòd iterũ possit mundari. Tertio, quòd possit bonum operari erga Deum & proximum. Quarto, quòd sit Deo gratus & acceptus, & sua opera accepta ad uitam æternam, quia aliter non possit peruenire ad terminum beatitudinis.

Iustificatus per pœnitentiam potest mereri argumentum gloriæ per bona opera, quę fecit dum erat in peccato.

Qui facit, quod in se est, dispositus est ad iustificationem.

Quinq; sunt, quæ iustificant animam: Deus auctoritatiuè, gratia formaliter expellẽs morbum spiritualem, impletio mandatorum, ut dicta: sacramenta tanquam uasa medicinalia, in qbus confertur gratia, sacerdos in ministerio. Exemplum horum habemus in curatione morbi corporalis. Deus enim sanat corpus auctoritatiuè, medicina effectiuè, dieta conseruatiuè, uas medicinæ contentiuè, ut dicitur uulgari-

cer: pixis ista sanauit me, medicus uerò sanat, ut minister.

Iustificatio est motus ab iniustitia ad iustitiam.

In iustificatione impij quatuor requiruntur: motus liberi arbitrij, contritio, infusio gratiæ, & remissio culpæ. Horum prima duo sunt ex parte suscipientis, alia uerò duo ex parte agentis.

In iustificatione impij aliquid est ex parte dei, aliquid ex parte peccatoris, aliquid ex parte ecclesiæ. Ex parte Dei duo, scilicet misericordia, & iustitia: misericordia, qua reatum indulget: iustitia qua emendam aliquantulum exigit, uel hic, uel in purgatorio. Ex parte peccatoris duo scilicet dolor, & amor. Ex parte Ecclesiæ duo, primum est meritum & præcipuè Christi, et etiam aliorum sanctorum, qui fecerũt opera multa supererogationis, quæ omnia sub potestate clauium sunt posita, ut si quid minus in uno membro Ecclesiæ inuenitur, in alio recompensetur.

Iustificatio tribuitur tribus, primùm fidei, secundo charitati, tertio pœnitentiæ.

Iustificatio est remissio culpæ, & consummatio bonorum operum.

Iustificatio hominis impij, consistit in infusione gratiæ, & in libero arbitrio.

Metus

Motus liberi arbitrij in iustificatione contra peccatum, est prior infusione gratiæ.

In habentibus usum rationis, præparatio, qua homo facit, quod in se est, requiritur ad iustificationem, non autem in carentibus usu rationis.

Hæc præparatio est per efficacem displicentiam peccati, & per affectum & feruens desiderium ad Deum, ideo sequitur infusio gratię & iustificatio.

Ad iustificationem requiruntur motus fidei, charitatis, timoris, & humilitatis.

Actus misericordiæ operatur contra peccatum dupliciter, uel per modum satisfactionis, uel per modum præparationis. Primo modo, actus misericordiæ sequitur iustificationem: secundo uerò modo præcedit eam, uel concurrit cum alijs uirtutibus requisitis.

Deus est principalis causa iustificationis, passio Christi est causa meritoria, sacramenta Ecclesiæ sunt causæ instrumentales. Fides uerò est coniungens instrumentũ causæ principali.

In iustificando Deus non indiget instrumentis ex causa sua, sed propter congruitatem ex causa iustificandi.

DE SPE.

Spes est certa expectatio futuræ beatitu-

dinis, proueniens ex gratia & meritis nostris.

Spes cum dubitatione subsistere potest.

Spes est uirtus & qualitas in nobis.

Spes non potest existere sine meritis nostris quæ cum absunt, spes non dicitur spes, uerum præsumptio.

Actus concupiscentiæ potest ordinari per uirtutem spei.

Spes uenit ex meritis.

Spei & fidei actus nunquam & nusquam cõfunduntur, aut permiscentur in scriptura.

Duplex est spes: Prima potest esse in homine, unde de beata uirgine canitur: Vita, dulcedo & spes nostra: Secunda spes non potest esse in homine, iuxta illud: Maledictus, qui ponit spem suam in homine.

Potest aliquis quadrupliciter exire in actũ sperandi. Aut enim sperat habendo merita in proposito, & in radice, & in effectu, sicut et homo iustus, qui Deo diu seruiuit: aut sperat habendo merita in proposito, tamen non in radice, sed non in effectu, sicut ille, qui ante bonũ usum uirtutũ, postq; suscepit gratiã, expectat æternã beatitudinem: aut sperat habendo merita in pposito, tamẽ nõ in radice, neq; in effectu sicut ille qui peccator est, qui proponit multa bona facere, & per illa saluari: aut sperat non habendo merita, nec in effectu, neque in radice,

re, nec in proposito, sicut ille qui faciendo mala, & in malis proponens perseuerare, per solā Dei misericordiam credit se assecuturum gloriam, neglecta diuina iustitia. Primus est actus spei formatæ, & iam exercitatæ. Secundus actus est spei formatæ & post infusæ. Tertius actus est spei informis. Quartus est ipsius præsumptionis.

Spes magis propriè accipitur pro habitu infuso uel acquisito ad actum sperandi inclinantē. Et utroq; modo accipitur dupliciter. Vno modo large pro habitu uel actu sperandi bonum quodcunque apprehensum, ut absens siue æternum, siue temporale, quomodo aliquis dicitur sperare diuitias, corporis sanitatem, & aliud bonum. Alio modo strictè, ut solum respicit bonum æternum apprehensum, ut possibile & futurum.

Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis, ueniens ex Dei gratia & precedentibus meritis, sic accipitur pro habitu, accipitur quandoque pro obiecto, id est, re sperata uel expectata.

Nullus rectè sperat æternam beatitudinem nisi qui Deo seruiuit, aut ad minus proponit Deo seruire.

Spes est nomen affectionis, & ideo uirtutis.

Spes quia est nomē uirtutis, igitur nominat habitum, & definitur per suum actum.

Et uirtus spei potest esse informis. Potest enim quis sperare uitam æternam sine gratia gratum faciente. Et sicut dicitur: fides potest esse informis, ita & spes.

Spes est formata, & non tantum uirtus gratuita, imò etiam uirtutum gratuitarum sustentamentum & anchora. Virtus gratuita quia facit animam expectare ea quæ sunt super omnem æstimationem humanam, & ea quæ promisit largitas diuina.

Spes est audacia mentis de largitate dei concepta habendi uitam æternam per bona merita.

Spes habet quatuor effectus. Primo subleuat uoluntatem à terrenis mundana contemnendo. Secundo facit eam constituere finem suum in summo bono amato. Tertio facit ipsam operari propter illum finem, & non propter alium, nec propter aliud. Quarto exhibet ei patientiam in mora & tarditate, si ilico & in hac uita differtur possessio & acquisitio finis, qui est Deus & uera beatitudo.

Actus spei non est propriè expectare, sed sperare, quod idem est, quod ultimatum finem in Deo constituere.

Spes est habitus inclinans uoluntatem ad desiderandum efficaciter bonum infinitum, à seipso bono liberaliter sibi conferendum propter merita ab ipso bono infinito acceptata.

Duplex

Duplex ſpes eſt, infuſa & acquiſita.

Sola ſpes infuſa non ſufficit ſine acquiſita, aut eius actu ad inclinandum ad actum ſpei.

Preſumentes licet deſiderant ſummum bonum, ut ſuum commodum, non tamen inquirunt, nec uolunt media opera, ſcilicet meritoria per quæ conſequuntur. Non ergo deſiderant adipiſci per merita, ſed ſine meritis, & ſic non efficaciter.

Sine gratia & meritis ſperare non eſt ſpes, ſed uana præſumptio.

Efficax eſt deſiderium, quo aliquis ſtatim oſtenſo ſibi per fidē quod fruitio Dei per quam Deus habetur, eſt ſibi conferenda propter merita, ſtatim elicit actum meritorium ſi poteſt.

Spes non eſt tantum reſpectu Dei à nobis habendi, ſed etiam reſpectu omnium per quæ à nobis haberur, ſcilicet reſpectu fruitionis & uiſionis, quæ ſunt beatitudo formalis, & reſpectu gaudij conſequentis, ſimiliter reſpectu omnium ad Deum beatifice poſſidendum ordinatorum, ut reſpectum gratiæ & meritorum, & cæterorum Dei bonorum.

Bonum infinitum quod appetit ſpes, liberaliter communicat ſe creaturę propter merita.

Conſequentia ſpem ſunt: gaudium, perpetuitas, ſatietas &cæt. Præcedentia & circumcurrentia, gratia, dona & merita.

Spes

Spes nec Christo, nec angelis, nec animabus propriè conuenit, quia spes est expectatio præmij substantialis, omnes autem prædicti præmium substantiale habent, & ideo carent spe propriè dicta.

De patribus in limbo & animabus in purgatorio dicitur, quōd spem habuerūt & habent, nomine extenso.

Accipiendo spem proprijssimè pro uirtute theologica, in concupiscibili non irascibili est ponenda.

Secundum quosdam aliqua spes est ponenda in concupiscibili, aliqua in irascibili.

Sine meritis aliquid sperare non est spes, sed præsumptio.

Certitudo spei ex tribus oritur: ex diuina largitate: ex abundantia meritorum, & ex pręgustatione æternorum.

Spes prout est uiatorum, est cum certitudine opinionis, spes autem eorum qui sunt in purgatorio, & qui fuerunt in limbo, est cum certitudine.

Spes duplex est, suffragij & autoritatis propriæ. Prima ponenda est in sanctis, secunda in solo Deo.

Spes potest esse informis sine charitate.

Spes est tantum in uiatoribus hic, uel in purgatorio, uel in limbo patrum.

Spes est ex patria & meritis.

Spes

Spes præsupponit merita in proposito.

DE CHARITATE.

Charitas nostra erga Deum à nostra charitate ordienda est.

Nostra erga Deum charitas, tunc sumit exordium, quando nos incipimus bene operari, etsi nondum adsit fides. Infra 55.a

Charitas nostra erga Deum qualitas ut uirtus in nobis est.

Præceptum de charitate erga Deum, in hac uita perfectè impleri potest.

Quia charitas erga deum est executio legis: ergo charitas iustificat.

Homo potest diligere creaturam super omnia: ergo & Deum.

Actus amicitiæ naturæ est.

Actus amicitiæ est perfectissimus modus faciendi, quod in se est, & est dispositio perfectissima ad gratiam Dei, aut modus conuertendi & appropinquandi ad Deum.

Charitas iustificat, & præfertur fidei.

Qui diligit, credit, non qui credit, diligit.

Falsum est, charitatem moderari & gubernare omnia præcepta.

Propter nostram dilectionem accipimus remissionem peccatorum & iustificamur.

Christus Mariæ Magd. dicit: Remittuntur ei pecca-

ei peccata multa, quia dilexit multum: ergo opera dilectionis iustificant.

Donum charitatis nobilius donũ est, quàm fuit originalis iustitia. Nam charitas potest animam charã & amicam reddere Deo, id quod originalis iustitia non potuit.

Iustitia infusa dicitur charitas, & est decor omnium uirtutum, & est sufficiens ad beatitudinem.

Dicitur aliquid iustificans non solũ ~~in habitu, sed etiam in effectu~~, & sic charitas iustificat, uel fides quæ per charitatem operatur.

Iustificatio est quędam dispositio in iustificato à iustificante effectiue, sed à iustitia formaliter, quæ in hoc uocatur charitas.

diuisio 1. Charitas est triplex, prima increata, secunda infusa, tertia acquisita. Charitas increata est ipse Deus. Vnde quicquid est charitas uel dilectio increata est ipse Deus in diuinis: ergo solum reperitur. Et capitur tribus modis. Vno modo essentialiter, & est quoddam commune tribus personis, & est illa dilectio, qua quælibet persona in diuinis diligit se & alias personas. Alio modo notionaliter, & est ipsa spiratio actiua, qua pater & filius spirant spiritum sanctum concorditer. Tertio modo capitur personaliter, quę producitur per uoluntatem. Pater enim & filius habentes uoluntatem & essentiam diuinam sibi præsentem (concordia

quæ

quæ est amor & est motio) spirant spiritum sanctum. Secundo autem modo appropriatur patri. Vnde canitur in quadam prosa. Charitas est pater. Tertio modo appropriatur spiritui sancto. Charitas itaq; increata est uoluntas diuina, sine qua nullus est Deo gratus uel acceptus, nec actus quicunq; meritorius.

Charitas qua meritoriè diligimus Deum & proximum, est spiritussanctus.

Charitas qua Deum & proximum diligimus est actus à nostra uoluntate elicitus.

Charitas infusa quæ ab increata charitate diuinis influxibus solum in uoluntates aut angelicas aut nostras mittitur, hoc est, à Deo infunditur. Et habet tria nomina de communi. Dicitur enim charitas infusa, quasi intus fusa, in quantum à Deo infunditur mentibus. Item dicitur effusa, quasi extra fusa, in quantum ad extra relucet per bona opera. Dicitur etiam charitas diffusa, quasi deintus fusa, in quantum ad interiora bona opera diffunditur.

Charitas acquisita est, quæ ex dilectione Dei frequenti adquiritur ex naturalibus.

Charitas creata sumitur dupliciter. Vno modo pro habitu quodam absolutè infuso, & sic est nomen connotatiuum, sed absolutè significat illam qualitatem, & sic aliquis potest esse charus sine charitate. Alio modo sumitur

pro

pro termino connotatiuo, ut est abstractum illius concreti charus, ut scilicet connotet aliquem esse gratum Deo, & sic sine charitate nemo potest esse charus Deo. Esse autem charum, siue acceptum, siue dilectum Deo, nihil est aliud, quàm uelle diuinũ, quo uult aliquem beatificare, si manserit in statu perfectionis, non ponens obicem per peccatum, & illo modo omnis paruulus post baptismũ prius quàm actualiter peccet, est charus seu acceptus Deo, quia taliuult (si non impediatur per cõsequens peccatum mortale) dare uitam æternam.

Charitas est habitus supernaturalis inherens formaliter naturæ beatificabili, per quem ipsa acceptatur à Deo ad uitam æternam, tanquam digna tanto præmio, & per quem ipsa est amica Dei, & sibi grata & chara, & per quem actus eius elicitus secundum inclinationem talis habitus est meritorius uitæ æternæ.

Charitas est habens eam, habet Deum charũ, ita quòd respicit Deum non in ratione diligentis, sed in ratione diligibilis.

Charitas dicitur forma uirtutum, & formare uirtutes, nõ quod inhæreat uirtutibus & det speciem, sicut forma substantialis inhęret materiæ, & dat speciem non materiæ, sed composito, sed dicitur forma uirtutum pro quanto per charitatem actus uirtutum perficiuntur, quia per charitatẽ in debitum finem ultimum, scilicet

scilicet summum bonũ propter seipsum, quod Deus est referuntur.

Habitus fidei informis nihil est aliud quàm habitus fidei, cui non assistit in eodem subiecto charitas.

Charitas creata potest augeri, sed effectiuè augetur à Deo, meritoriè autem per bona opera. Non autem potest minui per peccatum de meritoriè, quia nec per peccatũ mortale, quia hoc simpliciter tollit, cum sibi repugnat, nec per ueniale, quia uenniale stat cum charitate. Etsi ueniale minueret charitatem, per multa uenialia tota tandem auferetur, quod non conceditur, tamen per ueniale feruor charitatis remittitur, sed quia uenialia quędam multum disponunt ad lapsum & ruinam in mortalia, per quæ perditur charitas, per culpam igitur uenialem potest diminui charitas, quantum ad eius firmitatem & stabilitatẽ, uel potest minui quantum ad eius feruorem.

Charitatis multæ sunt operationes, inter has præcipua est, placere & acceptum facere Deo.

Charitatis uia dicitur perfecta quatuor modis, si charitas intelligitur ex parte diligentis. Nam si intelligitur ex parte diligibilis, solum charitas Dei qua seipsum diligit, est perfecta. Primo cauendo omne uitium, & talis perfe-

ctio est consequens omnibus charitatem. Secundo contemplando Deum, scilicet uacando diuinis, & alijs curis temporalibus dimissis, nisi quantum exigit necessitas. Tertio modo non timendo supplicium. Nam perfecta charitas foras mittit timorem, scilicet tam seruilem, quàm mundialem, quàm humanum siue carnalem, quàm initialem, sed non timorem filialem nec naturalem. Quarto perfecta charitas uiatoris est affectando præmium.

Et charitas patriæ dicitur perfecta, quia habet impossibilitatem offensæ, tranquillitatem ab omni sollicitudine, actualem continuitatem in Dei contemplatione, claritatem in Dei lumine, libertatem ab omni passione, securitatem ab omni tẽtatione, & perpetuitatem in omnis boni possessione.

Ordo charitatis non debet ordinem temporis, sed perfectionis. Et illa perfectio attenditur uno modo, quo ad charitatis effectum, id est, ad actum imperatum, quo affectus alicuius impenditur amato, & illa se non necessario consequuntur, quia potest aliquis actu multum intenso alicui impendere modicum bonum, qualia sunt bona corporis & fortunę, quę minima sunt. Et potest quis affectu remisso, alicui uelle impendi maxima bona, scilicet beatitudinem & gratiam &c. Illa quoq; perfectio actus charitatis attenditur ibi non secundum

intensio-

intensionem actus gradualem simpliciter, sed magis secundũ appreciationem actus, uel quia fortior est firmior.

Ordo charitatis debitus requiritur de necessitate salutis, quia diligens non diligenda, aut æquè diligens, quod minus uel amplius diligendum est, aut minus uel amplius quod æquè diligendum est, contra ordinem charitatis diligit.

Tres sunt charitatis gradus: charitas incipiens, charitas proficiens, & charitas perfecta. Et secundum hos gradus, tres sunt status hominum Deo placentium & seruientium, quorum alia & alia sunt studia & officia.

Incipienti cum in eo nascitur charitas, incumbit principaliter à ~~Deo~~ eiusmodi recedere, & eius relliquijs uitiosis habitibus & concupiscentijs, quę adhuc militant in eo, & in contrarium charitatis fortiter mouent, diligenter resistere, ne acquisita charitas corrumpatur, sed foueatur & nutriatur. Hoc autem fit operibus pœnitentiæ, contritione, confessione & satisfactione, quia status incipientium est status pœnitentium. Et licet sic agendo etiam crescant per huiusmodi opera in uirtute, principalis tamen eorũ sollicitudo est, nõ quomodo crescant, sed quomodo peccatis resistant, & hic labor precipitur incipientibus. Hier. 4. Nouate uobis nouale, & nolite serere super spinas.

Curcumcidimini & auferte pręputia cordium uestrorum. Nouatur nouale per cõtritionem, euelluntur spinę per confessionem, auferuntur cordis præputia uitiorum per satisfactionem. Priusquam autem aliquantulum creuit charitas, & decreuerunt concupiscentię & uitia impugnantes, ut iam non sic acriter fortiterque impugnent, succedit secundum studium & cura, ad hoc principaliter tendens, ut proficiat in gratia & uirtutibus, & hoc proficientium est, non tamen ita proficientes uirtutum profectũ intendunt, ut contra dæmonum oppugnationes defensionis gladium deponant. Sicut figuratum est in ędificatione Hierusalem, ab Esdra & Zorobabel, de quibus scribitur Nehemię 4. quód una manu ædificabant, & altera tenebant gladium. Principalius opus fuit ędificare, tenebatur tamen gladius ad obuincendum impugnationibus inimicorum. Horum ergo sollicitudo est per opera uirtutum adquirere uirtutes, & ornare animam suam in templum beneplacens Domino, fortificata uerò sic charitate, ac uirtutibus roboratis, quibus ligantur passiones, & humanus quietatur animus, succedit tertium mentis studium ad hoc principaliter intendens, ut dimissis creaturis, soli Deo inhęreat contemplatione & amore, quantum uitæ præsentis necessitas patitur & admittit, qui gradus perfectorum est.

Tota

Tota uis merendi uitam æternam, consistit in charitate, non tamen totus effectus, quia merendi effectus consistit etiam penes magnitudinem operis, sicut pater in merito remissionis pœnæ, quod non solum consistit in charitate, sed etiam in operibus pœnalibus.

Opera charitatis ad multa alia ualent, unde uersus:

Iocundat, auget, stabilit, peccata remittit,
Debilitat, remouet, exercet atq; repellit.

Iocundat, scilicet mentem, auget, scilicet meritum accidentalis præmij, stabilit, scilicet uirtutes, ~~peccata remittit, scilicet, quantũ ad pœnam, quia iam dimissa sunt, quantum ad reatũ per gratiam~~, debilitat, scilicet fomitem, remouet, scilicet accidiam, exercet, scilicet hominẽ in assuefactionem boni: repellit, scilicet tentationes diaboli.

Charitas erga proximum est qualitas & uirtus in nobis.

~~Fides~~ ex charitate nostra oritur, non charitas ex fide.

Opera charitatis erga proximum, non tam ex alijs causis oriuntur quàm ex frequenti usu, sicut reliquæ uirtutes, ut sæpe iustè faciendo, simus iusti, sæpe bene operando, assuescimus bene operari.

Inter opera charitatis habendus est circumstantiarum respectus.

Perfecta ſunt charitatis opera, modo externa opera accedant, etſi non adſint puri adfectus.

Opera charitatis iuſtificant minus principaliter.

Paulus ait: Si dilectionem non habeam, nihil ſum, ergo opera dilectionis iuſtificant.

Peccatum eſt odium Dei: igitur dilectio eſt iuſtitia.

Lucę 7. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum: ergo opera dilectionis iuſtificant.

Exiſtentes in charitate habent intentionem ſaltem uirtualem ſubueniendi proximis in neceſſitate, præſertim ſpirituali, & ſuorum bonorum eos facere participes. Dauid: Participem fac me deus omnium timentium te. Priore ad Corinth. 3. Charitas non quærit quæ ſua ſunt.

Charitas eſt quæ format fidem & omnes uirtutes. Dicitur autem formare uirtutes, non quòd uirtutibus inhæreat, & det ſpeciem, ſed dicitur forma uirtutum, pro quanto per charitatem actus uirtutum perficiuntur, quia per charitatem in debitum finem ultimum, ſcilicet ſummum bonum propter ſeipſum, quod eſt Deus referuntur.

Anima non eſt accepta Deo niſi per charitatem, quoad uoluntatem, uel perficiatur habitu

bitu ſupernaturali quoad intellectum.

Charitas eſt cauſa bonorum meritorum.

Charitas peccatum expellit, ſeu iuſtificat.

Gradus charitatis in quantum expellit peccata, ſunt hi: Primo tollit charitas peccatum mortale, non quantum ad habitum, ſed quantum ad actum. Liberat enim à peccato mortali, ſed non à poteſtate cadendi in illud. Secundo modo tollit charitas peccatũ mortale, quantum ad actum & habitum, ſed ueniale neutro modo, ſicut patet in aliquibus ſanctificatis. Tertio modo tollit charitas peccatũ mortale utroq; modo, & ueniale quo ad habitum non tollit, ſed quo ad actum. Talis fuit charitas in beata uirgine ante conceptionem Chriſti. Quarto charitas tollit utrunq; utroq; modo, ſic fuit in beata uirgine in conceptione & poſt. Tũc enim fuit in ipſa ſublatus fomes peccandi totaliter. Quinto tollit charitas utrumque utroq; modo & in uper omnem miſeriam, ſed hoc fiet in patria.

Perfecta eſt charitas, quando eſt habitu magna, motu interiori directa, & opere exteriori ſollicita.

Per charitatem peccatorum conſequimur ueniam.

Charitas non eſt habitus in anima creatus.

De ratione charitatis eſt, prius facere Deum nobis charum, quam facere nos charos Deo,

Charitas pertinet ad premium essentiale beatitudinis.

Actus charitatis duplex, elicitus & imperatus.

Charitatis obiectum est beatitudo uitæ æternæ.

Charitas est nobilior anima Christi & aliorũ secundum quid non autem simpliciter.

Charitas est prior cæteris uirtutibus theologicis.

Charitas coniungit nos deo per operationẽ.

Charitas non potest amitti per peccatum ueniale.

Veniale peccatum non contrariatur habitui charitatis.

Beatitudo datur secundum diuersos gradus charitatis.

Minima charitas potest esse in magnum meritum, respectu præmij accidentalis.

Resurgens per pœnitentiam in minori charitate habebit maius gaudium accidentale, de bonis factis prius in maiori charitate, quàm de factis pòst in minori, non autem maius gaudium essentiale.

DE OPERIBVS.

Preter decalogi bona opera adhuc alia sunt multa ad exercendam pietatem & ad cultum

Dei

Dei præstandum necessaria.

Opera à pontificibus præscripta, cum operibus decalogi conferri possunt, & sub æquali pœna pariq; spe præmij, seruari debent.

Christus summo pontifici, ut suo uicario hic in terris agenti, potestatem reliquit præscribendi ad salutem opera, quæ decalogus non præcipit.

Bona opera perfectè præstare, nostrarum uirium est.

Bona opera ideo dicuntur bona, quia bonos faciunt.

Opera ex proprio debito merentur tã spiritualia quàm corporalia.

~~Opera minus principaliter iustificant.~~ Sig. 57. b.

Opera bona ideo merentur uitam æternam quia mala opera merentur æternam damnationem.

Semel accipimus fide in Christum generalem iustitiam, ut autem salutarem iustitiam accipiamus, illa emerenda est operibus.

Suprà de iustificatione, quære sententias, quas habent scholastici pro iustitia ex operibus.

Opera contra legem Dei, sunt peccata, igitur bona opera sunt iustitia.

Iustitia est obedientia erga totam legem, bona opera sunt obedientia erga legem, igitur bona opera iustificant.

Opera sine Christo sunt quidem mortua, sed non mortalia.

Opus bonum fit aliquando opinione iustitiæ, & salutis quærendæ per ipsum.

Falsum est, iustum in omni opere bono peccare.

Per bona opera fimus participes passionis & meriti Christi.

Opera ut necessaria ad iustitiam doceri possunt, ut non lædatur fides.

Opera quæ facit homo ex se bona, placent Deo, nec sunt uitiosa, aut morte digna peccata.

Operari possunt homines bene, antequam implentur præcepta.

Deus curat & requirit nostra opera pro iustitia. Falsissimum est, opera coram Deo omnia æqualia esse, quo ad meritum.

Singulis operibus respondet singulare præmium.

Opera nostra meritoria sunt, non tantũ harum aut illarum, cum corporalium, tum spiritualium rerum, sed etiam iustitiæ, uitæ æternæ &c.

Dubitans etiam, & qui incertus est, an opera sua placeant deo, tamen potest operari operi placẽtia Deo, nec peccat dubitatione, nec perdit opera sua, quæ facit.

Opera merentur remissionem peccatorũ, gra-

gratiam, iustificationem, uitam æternam &c.

Opera, quę fidem sequuntur, iustificant, non quæ pręcedunt.

Per opera patet nobis accessus ad patrem, & per opera meremur habitum, ut postea dilectionem habeamus pacem conscientiæ.

Paulus ubi loquitur de operibus, quôd opera non iustificent, semper intelligendus est de ceremonijs Leuiticis, quę non iustificarunt, nec iustificant.

Opera legis non iustificant, sed opera Euangelij &c.

Lucæ cap. 7. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum: ergo opera dilectionis iustificant.

Opera supererogatiua sunt, peregrinationes ad loca sanctorum, rosaria, & similia.

Per bona opera extra gratiam facta, meremur ex pacto diuinam gratiam.

Non peccat homo, qui facit opera pręceptorum extra gratiam.

Petrus ait: Studete firmam facere uocationem uestram per bona opera: igitur bona opera merentur remissionem peccatorum.

Omnia bona opera & merita per peccatum mortale perduntur, quia mortale peccatũ nõ solum animam necat, sed & bona opera perire facit, reparantur uerò illa bona opera per pœnitentiam.

Bonum

Bonum opus impositum in confessione ex potestate sacerdotis, magis satisfacit pro peccato, quàm opus, quod homo sua spõte facit.

Opera Christi fuerunt maximè satisfactoria & meritoria, ita & nostra opera.

b. Opera sanctorum Ecclesiæ uocantur thesaurus cœlestis, & quia adhuc passiones desunt ad Col. 1. igitur peritoria meritorum nondum est plena, nec adimplebitur, nisi cum seculum finitum fuerit. Est autem peritoria uas uel domus ubi pariter multa inferuntur.

Apud deum magna est operum differentia, Deus enim secundum magnitudinem & multitudinem operum iudicat.

Falsum est, Deum sæpe sordidi artificis manuale opus præferre ieiunio & orationi sacerdotis.

Operatio uoluntatis cum exteriore non est magis meritoria uel demeritoria, quàm sit sola interior sine exteriore imperata.

Operationes quædam sunt merè naturales, secundum quas nec laudamur, nec uituperamur.

In uita Christiana sunt consideranda quatuor genera operationum. Nam quædam præcedunt ab ipsa charitate & fide formata, ut ea quę fiunt ab aliquo uiro iusto secundum legem, & præcepta diuina, & talia opera dicuntur totaliter bona, & meritoria uitæ æternę. Quædam au-

autem fiunt contra legem diuinam, & charitatem ab aliquo peccatore, sicut furta & homicidia &c. quæ totaliter sunt mala, & merentur mortem. Quædam opera fiunt ab aliquo, quæ nec fiunt ex charitate, nec contra charitatem, nec propter deum, nec contra diuinam legem, sed naturaliter, propter aliquod naturale interesse, ut defendere cognatum &c. Quæ quidem opera non sunt meritoria, quia aliud est, diligere proximum propter Deum, & aliud, propter propinquitatem cognationis. Quædam sunt, quæ licet non procedãt à charitate, tamen nõ fiunt contra charitatem, nec contra legem dei, imó fiunt secundum legem diuinam & præcepta, & propter Deum, & ordinantur in charitate, sicut sunt: eleemosynæ, & alia opera misericordiæ, quæ fiunt à peccatore, non proponente manere in illo peccato, sed desiderante agere pœnitentiam, pro ut accidit in multis, quæ quidem opera licet non dicantur simpliciter bona, tamen de se nullo modo dicũtur mala, postquam non sunt cõtra charitatem, & diuina præcepta. Et istæ operationes possunt dici informes, quibus peccatrix anima intendit facere, quod in se est, & disponit ad uitam.

Operari meritoriè, est parere fructum uitę.

Principium operationis est uoluntas, sine qua nec opus est meritorium, nec laudabile.

Opera multiplicia sunt. Est enim opus carnis

le, opus pœnale, opus satisfactorium, opus formaliter bonum, opus conformatum, opus supererogationis, opus incarnationis, opus Dei, & laboriosum.

Opus bonum moraliter est opus elicitum, aut imperatum conformiter ad dictamen rectæ, id est, inculpabilis rationis.

Differunt opera moralia & meritoria. Nam opera moralia dicuntur illa, quæ eliciuntur uel imperantur ab ipsa uoluntate secundum esse completum dictamen rectæ rationis. Opera meritoria dicuntur illa, quæ eliciuntur à uoluntate secundum inclinationem charitatis uel gratiæ, & omne opus meritorium est opus morale.

Opus uirtuosum & laudabile est triplex. Nā quoddam est opus ~~uirtuosum simplex~~, pertinens ad uitam contemplatiuam, cuiusmodi est amare Deum, audire missam, orare Deum &c. Aliud est opus ~~uirtuosum simplex~~ pertinens ad uitam actiuam, sicut est recipere hospites, ministrare infirmis &c. Dicuntur autem simplicia, quia non sunt permixta. Tertium est opus ~~uirtuosum~~ pertinēs ad uitam actiuam, deriuatur uerò à plenitudine contemplationis, ut est prædicare, alios docere: non enim simpliciter pertinet ad uitam actiuam docere, sed etiam cōtemplatiuam. Et opus uitæ contemplatiuæ est simpli-

pliciter melius & nobilius, quàm est de facto opus simplex uitæ actiuæ, ex quo uita contemplatiua est simpliciter melior uita actiua. Et licet opus simplex uitæ actiuæ sit bonum & uirtuosum, non est tamen æquè perfectum, imò minus perfectum opere deriuato ex contemplatione.

Est autem duplex difficultas in opere uirtuoso. Vna ex ~~parte operantis~~, & hæc non facit opus in se uirtuosius, non enim sequitur: Difficilius est mihi ieiunare, quàm orare: ergo melius est ieiunare, quàm orare. Alia est difficultas ex ~~parte operis in se~~, & illa facit opus magis meritorium, unde docere & prædicare sunt difficiliora operibus solummodo contemplationis, difficultate operis in se: igitur sunt opera magis meritoria. Opus ita q̃ uitæ actiuæ deriuatum à uita contemplatiua est simpliciter nobilius & uirtuosius in genere moris, quàm sit simplex contemplatio. Nam maius & perfectius est illuminare, quàm lucere: & sicut maius est illuminare, quàm lucere, ita maius est, contemplata alijs tradere, quàm de facto contemplari solum.

Opera quædam dicuntur uiua, quædã mortua, quædam mortificata.

Opera

1. Opera uiua dicũtur, quę fiunt ex radice spiritualis uitæ, quę est charitas, propter quę operans remunerandus est uita ęterna. Hęc tamen per sequens peccatum mortale mortificantur, non per se, nec absolutè, sed per accidens, & in relatione ad peccatorem, quia durante peccati mortalis obstaculo, homo pertingere nõ potest ad efficaciam illorum operum, quia cũ peccato mortali remunerari nõ potest in uita æterna. Et dicuntur opera uiua, quia facta sunt à uiuente uita gratiæ, & sunt meritoria uitę ęternę, quandiu non impediuntur.

2. Opera mortua dicuntur illa, quę facta sunt à carente uita gratię, uel quę non sunt meritoria uitę æternę propter defectum debitę circũstantię, quæ tamen sunt bona opera ex genere, & per cõsequens mala uiuere. Quæ uerò sunt mala ex genere, non sunt mortua priuatiuè, quia nunquam sunt mala uiuere. Quæ autem à principio erant meritoria, & postea superuenit mortale, dicuntur mortificata.

Secundum alios mortua dicuntur opera, quę nunquam acceptata sunt ad beatificam pręmiationem, & talia sunt omnia, quę non sunt elicita ex gratia, sicut omnia opera existẽtis in mortali. Sed opera mortificata sunt, quę ad pręmium ęternum sunt à Deo acceptata, sed per consequens mortale peccatum ab assecutione pręmij impedita.

Eleemo-

Eleemosyna in peccato mortali facta, nõ reuiuiscit, quãtum ad operantis meritum, quod mereretur, si non in mortali fieret, sed quantũ ad effectum, quem aliunde habet, potest reuiuiscere. Exempli causa: Eleemosyna in peccato mortali facta, non reuiuiscit quantum ad meritum dantis, reuiuiscit tamen, quantum ad orationem pauperum eleemosynam recipientiũ, quibus impetrant gratiam danti. Sic abstinentia corporis & castigatio in mortali facta, non reuiuiscit, quo ad meritum abstinẽtis, sed quia castigatio ex ipso opere habet carnem subiacere spiritui, quantum ad illum effectum reuiuiscit, quia cedẽte fictione caro subiectior est spiritui, quàm si non præcessisset castigatio. Et de operibus satisfactionis est idem iudicium, sicut & de alijs operibus.

Opus meritorium mortificatum reuiuiscit, sed opus mortuum, id est, extra charitatem nũquam reuiuiscit.

Iustificatus per pœnitentiam potest mereri augmentum gloriæ per bona opera quæ fecit, dum erat in peccato, & hoc per nouam oblationem in uirtute nouæ gratiæ. Et hoc inde liquet, quia aliquis extra gratiam principis, tamen multa bona agit aliàs: & exul à terra propter principem, illa opera prosunt ei, postquã redit in gratiam cum principe. Et talis clemen-

tia non est neganda in Deo respectu iustificati per pœnitentiam, qui ante pœnitentiam nunq̃ cessabat orare, & alia bona opera exercere. Hinc Lucas ait: Facite uobis amicos de iniquo mammona, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Talia opera à peccatore facta, non sunt mortua, sed uiua, & à principio uiuo, quia à gratia præueniente & impellente ad bene agendum sunt facta. Et sicut non sequitur: Domus facta est ab homine albo, ergo est alba, ita non sequitur: Opera sunt facta ab homine mortuo in peccato, ergo sunt mortua. Bona igitur opera facta in peccato ualent iustificatio per pœnitentiam post conuersionem, eo modo, quod dictum est in uirtute nouæ charitatis.

Opus carnale est opus carnis, uel uitiosum, uel etiam malum. Opus spirituale est, opus spiritus uel bonum, uel uirtuosum, uel meritorium &c.

Opus pœnale dicitur dupliciter: uno modo formaliter, scilicet quod infert adflictionem, uel pœnam agenti interiorem, scilicet tristitiã animę, uel dolorem exteriorem corpori, ut cõtritio, ieiunium, castigatio, labor corporalis, &c. Hoc opus non est satisfactorium, quia nec uirtuosum. Alio modo uirtualiter, scilicet quãdo eminenter includit perfectionẽ operis pœnalis, & reddit hominem paratũ ad subeũdum passio-

passionē, aut laborē, si facultas uel opportunitas occurrit. Opus satisfactorium est opus seu actus uoluntatis elicitus, seu imperatus. Ideo flagella undecunq; inferātur ab intrinseco, nō sunt satisfactoria, sed uolūtaria sufferentia eorum pro remissione peccati satisfactoria est, qa illa est à uoluntate, tanq; ab actiuo principio.

Opus supererogationis dicitur opus consilij, uel quod fit ultra id, quod quis debet, & opus supererogationis includit meritum, quare Deus non potest propriē facere opera supererogationis, quia deus non potest mereri &c. Que dicuntur propriè opera supererogationis, uide locum de satisfactione.

Est quoddam opus formatum. Dicuntur uerò opera formata dupliciter: uno modo per exclusionem deformitatis peccati: alio modo per positionē dignitatis meriti. Si primo modo accipiantur opera formata, sic præcepta decalogi obligāt ad opera formata: obligāt enim ad omnia peccata mortalia uitanda. Si secūdo modo, si loquamur de obligatiōe cōditionali, mādata decalogi obligant ad opera formata. Si quis enim uult ad uitam ingredi, necesse est ex charitate seruare mandata, quæ quidē charitas est meriti principiū. Mandata si seruentur quantum ad opera extra gratiam facta sufficiunt ad uitandam pœnā, & propterea non sequitur, q̄ per mandata obligetur quis absolutè ad opera meritoria,

Opus operatum, & opus operans, sic distinguuntur: Opus operatum est opus, uel signum exterius exhibitũ, quod fit ad significandũ aliquid, & ualet ex institutione et pacto, sicut sacramenta nouę legis ualẽt ex opere operato, id est, ex ui sacramenti cõferunt gratiã, si nihil aliud impediat, id est, si suscipiens nõ ponat obicẽ, uel non est peccato coinquinatus mortali.

Opus operãs est motus ipsius agentis interior, et fructus est sacramentorum, ut per ea cõsequamur gratiam, non solum ex opere operante, sed ex opere operato, id quod nullis alijs operibus, & ceremonijs ueteris legis est concessum.

Opus aliquod prodesse alij, per accidens dupliciter potest intelligi: aut quia est purè passiua occasio utilitatis illius, quia ex se magis ordinatur ad defectum, quamuis homo ex bonitate sua inde illius utilitatem eliciat, & tale opus facienti non prodest, sed obest. Alio modo, quia quamuis non sit per se causa utilitatis, tamen ordinatur ad inducendũ homines ad faciendũ alterius utilitatem, & tale opus prodesse potest facienti, sicut est, mortuos sepelire, quod prodest uiuis sepelientibus &c.

Opera bona meritoria sunt trium, uitę æternæ, augmenti gratiæ, & remissionis pœnę. Primum itaq; scilicet præmium substantiale uitæ æternæ respõdet radici operis, id est, charitati,

Præmi

Præmium accidentale respondet generi operis, sicut & augmentum gratię, quia operibus excellentibus, & operibus supererogationis, meremur magis augmentum gratiæ, quàm alijs operibus.

Remissio pœnæ respondet pœnalitati operis. Nam opera, quæ magis sunt pœnalia, magis sunt meritoria remissionis pœnæ. Et est regula in Theologia, pœna est resolutoria pœnæ.

Sciendum est diligenter, quōd homo de præmio substantiali meretur tantum uno opere, quantum per mille manente radice eadem & non crescente.

Tota uis merendi uitam æternam consistit in charitate, non tamen totus effectus, quia merendi effectus consistit etiam penes magnitudinem operis. Opera quę nō fiunt in charitate, licet nō ualent ad uitam æternam, tamen ad alia multa ualent, unde uersus: Aptat cor, scilicet ad susceptionem gratiæ: minuit pœnā, scilicet illā quę deberetur, si nō fieret illud opus, nō autem illam quę iam debetur: cōfert bona terrę, scilicet temporalia: occupat, scilicet, ne sit homo interim ociosus: assuescit, scilicet ad bene operandum: delectat, scilicet mentem: mitigat, scilicet fomitem: arcet, scilicet fluxum peccati &c.

Opus acceptabile Deo, duplex est: alterum meritorium, & uirtus moralis ex genere & bo-

na intentione: secundum existens potest facere in peccato mortali, non autem primum.

Opera omnia satisfactoria reducuntur ad tria: ad eleemosynam, ieiunium, & orationem.

Opera hoīs à charitate dicuntur uiua, mortua uerò dicuntur, quę fiunt sine charitate.

Opera mortua sunt meritoria, non quidem propriè, id est, ex condigno, sed quasi similitudinariè ex congruo.

Opera mortua ualent ad habilitatem gratiæ, & ad abundantiam bonorū temporalium, sed principaliter habent honestatem, iocunditatem, & pulchritudinem.

Etiam opera mortua cum sint meritoria, reuiuiscunt per pœnitentiam.

Opera mortua non uiuificantur per pœnitentiam, nec quo ad meritum, nec quo ad satisfactionem.

Orationis opus est satisfactorium, quia est pœnalis oratio.

Opera satisfactionis pœnitentiæ sacramentalis mortua sunt, quę non relinquunt aliquem effectum in satisfacientē, postq̄ actus transijt, oportet, quòd iterētur, quę autem relinquunt post se effectum in satisfaciētibus, postq̄ actus satisfactionis transijt, sicut ex ieiunio manet carnis debilitatio, & ex eleemosynis largitis, manet diminutio substantiæ, non oportet, q̄ iterentur.

Quód

Quōd ſicut peccata actualia tranſeunt actu, & remanent reatu, ita bona opera tranſeunt actu, & remanent merito. Bona opera quandiu ſunt coniuncta radici merendi, dicuntur uiuere, quando autem ab illa ſeparantur, dicuntur mori, quando reuertuntur, dicuntur uiuificari.

DE IMPLETIONE Legis.

Legis impletio eſt externa obſeruatio legis.

Legis impletio ad iuſtitiam coram Deo, in poteſtate humanarum uirium eſt.

~~Legis impletio perfectè fit, faciendo quod in nobis eſt.~~

Legi tum perfectè ſatisfit, quando uoluntas noſtra aliquo modo accedit ad externa legis opera, & ſi non omnino purus & conſentiens animus accedat.

Sub ueteri Teſtamento requiſitus fuit ad impletionem legis conſentiens & purus animus, in nouo autem Deus ceſſit noſtræ infirmitati, ita quōd iam ſatis ſit in implenda lege, externa legis opera præſtare.

Sub nouo Teſtamento præcepta Dei cōmutata ſunt in conſilia, nec ad omnes pertinet ſatisfacere legi conſentientibus animis, ſed tantum ad perfectiores.

Non solius Christi est, implere legem ad iustitiam, sed etiam nostri officij.

Legis opera in hoc nobis proposita sunt, ut à nobis ad iustitiam pro peccatis impleantur.

Christus semel satisfecit legi in uniuersum, pro peccatis præteritis, nos uerò nunc implemus legem ad iustitiam pro peccatis nostris.

Quia Apostolus ait ad Colossen. cap. 1. Ego compleo ea, quæ desunt adflictionibus Christi: ergo Christi impletio non est perfecta ad iustitiam pro peccatis. Fit autem perfecta, quando impletio nostra accedit.

Nihil minus uerum est, quàm Christum sua legis impletione, ad æternam iustitiam pro nobis duraturam, legi satisfecisse.

Nec hoc uerum est, Christum perfecta sua legis impletione meruisse nobis donum inchoationis ad complendam legem, loco testimonij & gratiarum actionis.

Falsum & hoc est, nostram legis impletionē, non ob aliam causam fieri, quàm ut illa testemur de nostra fide, acceptaque iustitia, & ut illa grati simus Deo.

Legis impletio post baptismum susceptum, tam efficax in nobis redit, ut queat diuinæ iræ pro iustitia opponi.

Nostra legis impletio sufficit ad iustitiam.

Nostra legis impletio ex opere operato meretur iustitiam.

Christus

Christus meruit nobis primam gratiam seu habitum quendam, cuius est inclinare, ut ualeamus implere præcepta Dei facilius.

Voluntatis est implere præcepta Dei, nisi quod habitus, quem meruit nobis Christus, excitimulet nos, ut idem faciamus libentius.

Habitus ille seruandi atq; implendi præcepta Dei, quē meruit nobis Christus, paratur per præcedentia nostra merita, & fit auctior.

Licet Christiano dubitare, utrum adsit habitus ille implendi præcepta Dei.

Per actum elicitum dilectionis possunt homines implere præcepta Dei.

Christus ait: Si uis in uitam ingredi, serua mādata: ergo est in nostris uiribus seruare mandata Dei.

Lex contenta est externa & ciuili iustitia.

Amplius nos facere possumus, quàm lex præcipit.

Homines sine spiritusancto possunt diligere Deum, & præcepta Dei facere, quo ad substantiam actuum, mereri gratiam ac iustificationem operibus, quæ ratio per se efficit sine spiritusancto.

Non peccat homo, qui facit opera præceptorum extra gratiam.

Deus nō à quolibet Christiano requirit summam perfectionem erga legem.

Præcepta decalogi ab illis tantum implen-

tur, & illis solum ad implendum data sunt, qui sunt in statu perfectionis.

Mandata si obseruentur quantum ad opera extra gratiã facta, sufficiunt ad uitandã pœnã, & per hoc nõ sequitur, quòd per mandata obligetur quis absolutè ad opera meritoria.

Impletio mandatorum dei dupliciter potest accipi. Vno modo quo ad substantiã actus pręcepti. Sic audiens Missam in die Dominica, subueniens parentibus, dans eleemosynam in extrema necessitate constituto, etiã quacunq; intentione hoc faciat, implet præceptũ faciendo actum præcepti. Alio modo fit impletio præcepti quantum ad intentionem præcipientis. Intendit aũt Deus pręcipiens in omni p̃cepto, ut illud obseruando mereamur ad uitam ęternam ingredi, secundũ illud: Si uis ad uitã ingredi, serua mandata. Potest aũt homo per liberũ arbitrium ex suis naturalibus diuina pręcepta, quo ad actus substantiã implere, sed nõ ad intẽtionem pręcipientis, quę est consecutio salutis nostrę. Potest enim honorare parentes, audire Missam, dare eleemosynã in articulo necessitatis ex naturali honestate & pietate, nõ ordinando in deũ tanquam in finẽ, & ita non ex gratia. Ad hunc autem finem nõ agitur, nisi per opera meritoria, quæ præsupponunt gratiam.

Ad pręcepta quis potest se habere tripliciter. Aut non seruando simpliciter, sed negligendo

actum

actum pręceptũ, quo tempore præceptus est, quo ad affirmatiua, aut oppositũ faciẽdo, quo ad negatiua. Secũdo modo obseruando quidem ad literã, hoc est, actũ pręceptum exercendo, & prohibitũ omittendo, non tamẽ ex charitate. Tertio modo utrunq; implendo propter deũ finaliter ex charitate. Primus transgressor est, & peccat mortaliter, tertius meretur uitam æternam, secũdus non meretur, neq; peccat, nisi forte in eo tempore, quo tenetur mereri, ut in dominico, quo tenetur actualiter eligere dilectionem Dei super omnia, aut dum tenetur se pręparare ad sacramenti susceptionem.

De consilijs uide infra locum de concilijs & consilijs.

DE ABROGATIONE legis.

Abrogatio legis est tantũ abolitio literę legis, nõ dominij, tyrannidis &c. ipsius legis, quę postrema nostra legis impletione tolluntur.

Abrogatio legis est tantum extinctio Mosaici regni aut politiæ Mosaicæ.

Quia infinitæ erant Iudęorum leges, igitur Deus consulens nostrę infirmitati, legum multitudinem abrogauit.

Ceremoniales & iudiciales leges tantum abrogatæ sunt, Morales relictæ ad iustitiam pro peccatis coram Deo.

In

In locum Mosaicarum legum successerunt Pontificum leges, præcipuè illę, quæ agunt de Ceremonijs.

Lex abrogata est cum annexa conditione, ut si hoc uel illud fecerimus, iustificemur.

DE LIBERTATE Christiana.

Christiana libertas est libera assertio à lege Mosis, sed non à lege Christi de dilectione, quę reseruata est ad iustificationem.

Christiana libertas est libera assertio à legibus Ceremonialibus & Iudicialibus, sed non à Moralibus, quæ relictæ sunt ad iustificationem.

Libertatis Christianæ causa aliqua in nobis est.

Liberi sumus facti à legibus Mosaicis, sed illis successerunt Pontificum leges de operibus supererogatiuis, quæ impetrant nobis iustitiam.

Libertas Euangelij malè difinitur, quód sit ereptio omnis iuris ipsius legis, accusantis & damnantis nos propter peccata.

Libertas est multiplex, libertas à peccato, libertas à miseria, & libertas à necessitate. Libertas à peccato supponit pro uoluntate, & connotat eam esse in gratia. Libertas à miseria,

ria, connotat eam esse sine pœna. Libertas à necessitate, connotat eam non posse cogi. In prima restauramur à gratia, media reseruatur nobis in patria. Iudicatur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prima habet multum honoris, secunda multum uirtutis, tertia multum iocunditatis.

Secundum alios distinguitur libertas, in libertatem naturæ, in libertatem gratiæ, & in libertatem gloriæ. Libertas naturæ est à coactione, libertas gratiæ est libertas à culpa, libertas gloriæ est libertas à miseria.

DE CRVCE.

Quisq; Christianorum debet sibi imponere crucem, ut sit, quod mortificet carnem.

Crux ex opere operato meretur iustitiam & uitam æternam.

Supplicia facinorosorum stant pro illorum delictis ad salutem.

Crux armis Papalibus insigniter erecta, cruci Christi præualet, aut ad minus æquiualet.

Non omnis uita crux & martyrium est, alioqui mortui iusti amittunt crucem & martyrium, quæ duo tamen retinent habitu.

EE HVMILITATE.

Verè humiles sunt, qui externis gestibus, ue-

stitu,

ſtitu, ceremonijs, ritibus, & alijs externis obſeruationibus incedunt.

Humiliatio eſt qualitas & uirtus in nobis.

Humiliatio ex opere operato iuſtificat, & meretur uitam æternam.

Humilitatis in uita æterna certi ſunt gradus & ordines, ſingularia præmia &c.

DE SACRAMENTIS IN genere, item de confirmatione & extrema unctione.

Sacramenta noui teſtamenti iuſtificant, & conferunt gratiam ex opere operato.

Sacramenta noui Teſtamenti iuſtificant etiam eos, qui non ponunt obicem, hoc eſt, qui non credunt.

Sacramenta numero ſeptem ſunt.

Sacramenta ſunt quædam, quæ tamen non habent annexas promiſſiones.

Quia in ſacramentis & circa ſacramenta magna myſteria peraguntur, quare æquum eſt, multis ceremonijs illa adornare.

Sacramenta non ſimpliciter colenda ſunt, ſed & adoranda.

Poſſumus nos præparationibus noſtris dignos facere ſacramentis.

Sacramentum fidei, non fides ſacramenti iuſtificat.

Sacra-

Sacramenta remissionem peccatorum semper dederunt.

Non ualet argumentũ. Sicut circũcisio nihil est, ita nec baptismus, nec participatio cœnæ.

Septem sacramentorum inuentio antiquissima est.

Sacramenta noui testamenti, nihil commune habent cum sacramentis ueteris legis.

Confirmatio & extrema unctio, sunt sacramenta ab ipso Christo instituta.

Sacramentũ ordinis est sacramentũ Christi.

In usu sacramentorum non requiritur fides, quæ credat remitti peccata.

Sacramenta conferunt spiritum sanctũ ex opere operato, sine bono motu accipientis.

Peccat mortaliter, qui contemnit susceptionem sacramentorum confirmationis & extremæ unctionis.

Septem sacramẽta sunt iuris diuini, quia nullus homo potest sacramenta facere.

Tria fuerunt sacramenta in lege naturę, matrimonium, primogenitura, & decimæ.

Pręterea multa alia sacramenta & sancta signa fuerunt in lege naturę, ut unctio lapidis Iacob, Gen. 28. sacrificium arietis loco Isaac &c.

Tria fuerunt sacramenta in paradiso.

Circumcisio est sacramentum naturæ.

Veteris test. uaria signa fuerũt, quędã fuerũt medicina, ut circumcisio & sacrificiũ pro peccatis,

tis, quædam præparatoria, quibus præparabantur Iudęi ad cultum dei exequendum, quędam significatoria ueritatis sub nouo testamẽto reuelandę: Sic Iudęis loco baptismatis fuit circumçisio, loco pœnitentiæ, communia sacrificia, loco ordinis, sacerdotium &c.

Veteris testamenti sacrificia, nihil conferebant ex opere operato, sed solum ex opere operante.

Sacramenta noui testamenti, fluxerunt è uulneribus Christi.

Sacramenta habent suam uirtutem ex uulneribus Christi.

Sacramenta habent efficaciam à uoluntate Dei principaliter, & à passione & morte Christi meritorie.

Sacramenta sunt causæ sine qua non &c.

Septenarius numerus, est numerus uniuersitatis: ergo non oportuit esse plura, nec paucio ra sacramenta, quàm septem.

Item. Septem sunt dona spiritus, Esa. 11. ergo oportuit septem esse sacramenta.

Item. Ioannes in Apocalypsi scripsit septem Ecclesijs: ergo &c.

Apocalyp. 3. Septem sunt spiritus: ergo &c.

Septem sunt principales uirtutes, tres diuinæ uirtutes, fides, spes, & charitas, quatuor Cardinales, scientia seu prudentia, fortitudo, temperantia, & iustitia. Per fidem significatur

baptismus

baptismus: per spem unctio: per charitatē cœna Domini: per fortitudinem confirmatio: per iustitiam pœnitentia: per scientiam seu prudentiam, ordo: per temperantiam matrimonium.

Pelagij & Cœlestini error est, sacramenta ex opere operato non iustificare. de Cōfirmatione.

Sacramentum confirmationis ab apostolis suam trahit originem. nec ad vsum baptismi?

Chrisma in sacramēto cōfirmationis cōficitur ex oleo arboreo & balsamo, non alia materia.

Synagoga suum Chrisma habuit: ergo multo magis catholica Ecclesia habere debet.

Apostoli uocarunt confirmationem consecrationem.

Quemadmodum Deus per Mosen in ueteri testamento instituit oleum seu Chrisma, ita in nouo testamento per apostolos.

Mosi præceptum fuit, Exod. 29. Vt sanctum oleum faceret, idq; in figura ad significandum oleum in baptismo & confirmatione.

Chrisma ut cōsecretur, non est necessariū, sed quia consecratio Chrismatis pertinet ad dignitatem sacramenti, consecrari igitur debet.

Nihil ualet ad impugnandum Chrisma, hæc obiectio. Christus non est usus Chrismate: ergo Chrisma nihil est, quia non decuit Christum externo Chrismate uti, sed interno.

Quod duplex oleum & Chrisma sub officio Missæ cōsecrentur, hęc causa est & inde accidit,

quia ex uolũtate ſpirituſſancti fit, qui regit Ecclesiam, dat illi omnia neceſſaria, & docet illã omnem ueritatem.

Forma cõfirmatiõis hęc eſſe debet. Ego signo te ſigno ſanctę crucis, & ungo te chriſmate ſanctificatiõis, in nomine patris & filij & ſpiritus.

Non confirmatus, non poteſt confirmandi compater fieri.

Qui excommunicatus eſt, & ſpiritualibus ſubiacet pœnis, non debet confirmari, nec confirmandi compater fieri.

Nemo accipiat confirmationẽ, niſi qui iuſtę ætatis eſt, & prius eſt confeſſus.

In ſacramento confirmationis ſpiritualis cõpaternitas inchoatur inter confirmandum, parentes confirmandi, & compatrem, item inter confirmandum, & liberos compatris.

Vltra duas perſonas, nemo ducat ad confirmationis ſacramentum.

Decet, ut Epiſcopus confirmans, unã cũm perſona confirmanda, ieiunus ſit.

Poſt confirmationẽ decet confirmatũ ligam capitis portare uſq; Chriſma explicatũ fuerit, caput aũt lauari nõ debet niſi poſt ſeptimũ diẽ.

Liga capitis, qua caput confirmati ligatum fuit, igne comburi debet.

Confirmati nõ debent abire, niſi prius oẽs in cõmune benedictionẽ ab epiſcopo acceperint.

Compater ex baptiſmo, nõ poteſt eſſe compater in ſacramẽto cõfirmationis.

Ho

Homo ex peccato originali habet in se fomtem, hoc est, scintillam mali, & incendium peccati in carne quod in baptismo quidem minuitur, sed non tollitur, tollitur uerò per sacramẽmentum confirmationis.

In cõmune cõfertur in sacramento cõfirmationis ex ope opato, gratia, remissio peccatorũ.

In sacramento confirmationis imprimitur confirmato character, qui signum est singularis militiæ & fortitudinis.

Cõfirmatus plus gratię habet quàm qui tantũ baptizatus est, quia duplicis sacramẽti gratiã.

Festinanda est confirmatio in pueris, nec producenda in longam ætatem.

Episcopi qui negligunt pueros in sacramento confirmationis, peccant, & spoliant pueros uno gradu salutis.

Sicut in sacramẽto baptismi regeneramur ad uitã animę, ita in sacramento cõfirmationis cõfirmamur & roboramur ad militiã. Itẽ sicut in baptismo accipimus remissionẽ peccatorũ, sic per confirmationem accipimus spiritum sanctum. Item sicut in baptismo datur gratia in remissionem, ita in confirmatione datur gratia in corroborationem.

Quia Iesus Christus unctus Messias est; ergo decuit eum instituere Chrisma, item, quia nos Christiani, hoc est, uncti uocamur: ergo decuit Christum Chrisma, ut per illud fieremus perfecti Christiani.

Impositionis manuum in scriptura fit mentio: ergo confirmatio est sacramentum iure diuino institutum.

Dare sacramentum confirmationis, nemini licet, nisi Episcopo, quia in Actis legitur, quòd Philippus Diaconus prædicauit quid ē alīs, & sua prędicatione cōuertit alios, sed Petrus & Ioannes apostoli missi sunt, ut conuersos à Philippo confirmarent, & darent spiritum sanctum.

Necessarium est ut baptizati accipiant chrisma, ut cœlestis regni participes fiant.

Chrisma externum significat internam unctionem spiritus sancti.

Quanquam scriptores quidā sentiant, Chrisma esse institutum conciliorum, tamen in hac parte non est illis credendum, quia Chrisma iuris diuini est, & ab ipso Christo institutum.

Non est de potestate Conciliorum instituere sacramenta, sed tantum sacramentorum ceremonias, spectantes ad sacramentorum ęstimationem, ornatum, & dignitatem.

Verisimile est, apostolos sacramentū confirmatiōis instituisse, quia fuerūt colūnæ ecclesię, & habuerūt potestatē scribēdi Biblica scripta.

Qui confirmationem negligunt, non ex cōtemptu, sed quia in alpibus & remotis locis habitantes, quo minus possunt suum episcopum adire, nō peccant mortaliter, quia prędicti non obligantur ad difficilia, imò impossibilia ferè.

Sacramentum

Sacramentum confirmationis adæquatur sacramento baptismi in perfectione, imo confirmatio etiã in hoc excellit baptismum, quia à digniori ministro datur. Nullus enim simplex minister & nullus laicus, potest dare confirmationem, excepto solo episcopo.

Confirmatio etiam in hoc excellit baptismum, quia in confirmatione deus plus gratiæ dat hominibus, qua confirmatur spirituali militia, contra tentationes Sathanæ.

Consultius & magis pium est, ubi timendus est dolus, aut offendiculum, commendare se diuinæ misericordiæ, quàm ab hæretico sumere sacramentum.

De extrema unctione.

Extrema unctio est sacramentũ ab ipso Christo institutum, & à S. Iacobo Apostolo proclamatum. Nam sicut in nostro ingressu in hunc mundum Christus nobis sacramentum dedit baptismi: ergo decuit illum quoq; dare in nostro egressu ex hoc mundo sacramentum extremæ unctionis.

Duæ unctiones sacramenta sunt: unctio in confirmatione, & extrema unctio. Vnctio in baptismo & in ordine, non est sacramentum, sed res sacramentalis.

Omnes Catholici à multis usq; seculis crediderunt extremam unctionem esse sacramentum, ergo est uerè sacramentum.

Sicut deus pro ſanitate corporis certa reme dia ordinauit, ſic certa remedia pro ſanitate animæ ordinauit, ex his remedijs excellentiſſimum eſt extrema unctio.

Iacobus teſtatur extremam unctionem eſſe remedium animę; ergo ſacramentum eſt.

Innocentius primus dicit. Extrema unctio eſt genus ſacramenti: ergo ſacramentum eſt.

In extrema unctione externum ſignum eſt, & ſacramẽtalis operatio; ergo extrema unctio ſacramentum eſt.

Quanquam aliquid eſt dicere, ſpiritum ſanctum per apoſtolos extremam unctionem inſtituiſſe, tamen potius ſentiendum eſt hoc ſacramentum ab ipſo Chriſto inſtitutum eſſe.

Marci 6. Et egreſſi prædicabant, ut reſipiſcerent, & dæmonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabant: ergo extrema unctio eſt ſacramentum à Chriſto inſtitutum, & ab apoſtolis frequentatum.

Etſi ſecundum quoſdam negetur circa locum Marci, Chriſtum inſtituiſſe extremam unctionem, tamen ideo non ſequitur, extremam unctionem à Chriſto non eſſe inſtitutam, ratio eſt, quia multa fecit Chriſtus, quę non ſunt ſcripta, teſte Ioanne cap. 21.

Piè credendum eſt, Diuum Iacobum, ſuam doctrinam de extrema unctione, à Chriſto pręceptore accepiſſe.

Fieri

Fieri potest, quòd apostoli olim alia forma circa extremam unctionem usi sunt, quam hodie utitur ecclesia, idq; dispensatiuè.

Extrema unctio multa priuilegia habet præ alijs sacramentis, quia quàm plurimis ueteris testamenti figuris præmonstrata fuit.

Dauid ter unctus fuit. Primum in domo patris sui, 1. Regum 16. Secundo unctus super Iudam in Hebron, 2. Regum 2. Tertio super omnem Iudeam, 2. Regum 5. Sic omnis Christianus ter ungitur, in baptismo, in cõfirmatione, & in extrema unctione.

Extrema unctio in ueteri testamento, non habuit sacramentum oppositum, sicut baptismus habuit circumcisionem &c. Causa autem hæc est, quia in ueteri testamento nemo potuit uenire in cœlum, sed omnes uenerunt in limbum infernum, in die vorhell.

Extrema unctio propriè loquẽdo, inde dicitur, quia nemini dari debet, nisi extremè infirmo, & de cuius sanitate, non est spes reliqua.

Extrema unctio non datur propter infirmitatem, sed propter discessum ex hoc mundo.

Vnctio extrema non significat tantum externam sanitatem.

Augustinus ait: Sacramentum est uisibilis forma inuisibilis gratiæ, unctio extrema est sacramentum: ergo unctio extrema non tantũ significat externam sanitatẽ, sed est sacramentum gratiæ.

Extrema unctio non significat externam sanitatem corporis, sed animæ.

Ecclesia semper credidit extremam unctionem esse sacramentum gratię, & tollere uenialia peccata: ergo piè credendum est, quod Ecclesia semper credidit.

Sq. 24. 1. De propria extremæ unctionis operatione est, tollere uenialia peccata, sine qua nunquam est homo, sicut Ioannes ait: Si dixerimus, peccatum non habemus &c.

Materia extremę unctionis debet esse de oleo oliuarum, quia in ueteri testamento, non alio oleo in templo usi sunt.

Quia oleum oliuarum fouet & est salutare, igitur significat internam salutem conscientię, uel ipsum conscientiæ nitorem.

Oleum oliuarũ significat lętitiam, extrema uerò unctio est sacramentũ lætitię: ergo nõ oleum nucum, aut aliud requiritur, loco materię.

Oleum oliuarum sic adeo est uera materia extremę unctionis, quod etiam neq; Papa neq; Concilium illam mutare potest.

~~Papa potest mutare materiam sacramentalium, sed non sacramentorum.~~

~~Sunt qui scribunt~~, Christum extrema unctione usum esse, quando sputo emisso in oculos cœci, eum sanauit, Marci 8.

Non satis est ad materiã extremę unctionis habere oleum oliuarum, nisi & hoc consecratũ fuerit ab Episcopo.

Piè

Piè credendum est, quòd oleum, quo usi sunt apostoli in ungendis ægris, prius à Christo fuerit consecratum, unde & Dauid, Psal. 4. Oleo lætitiæ unxi eum &c.

Sacramentum extremæ unctionis iure ab episcopo dari debet, sed quia episcopi alijs rebus quàmplurimis occupati sunt, licet sacerdotibus seu presbyteris, quod aliàs de iure ad episcopos pertinet.

Oleum non consecratum quando commiscetur cum consecrato, fit consecratum.

Oleum extremę unctionis nõ debet conseruari, nisi in uase consecrato.

Forma extremę unctionis hæc esse debet: Ego ungo te oleo sancto, in nomine patris, & filij, & spiritussancti, in hoc, ut quicquid peccaueris per indecentem uisionem, tibi remittatur, & purgetur per unctionem hanc.

Pertinet ad formam unctionis, ut unctio & forma simul procedat, & fiat.

Vnctio extrema ex opere operato confert gratiam, remissionem peccatorum uenialium, & iustitiam, sicut & alia sacramenta.

Laicus etiam in extrema necessitate, tamen non potest ministrare unctionem, item nec diaconus, nec Euangelista hoc sacramentum dare potest.

Item: Extrema unctio, nõ debet dari nisi absoluto, & communicato.

Non opus est, ut & communio & unctio simul fiant.

Extrema unctio requirit singularem uirtutem ex personis ministrãtibus, & pendet ex dignitate personarum, quę administrant eam.

Eucharistia est sacramentũ in esse quieto, unctio in esse successiuo, & transitorio ipso actu.

Sanus extremam unctionem accipere nõ potest. Non quiuis morbus est aptus ad extremã unctionem, sed tantum lœtalis.

Mortuus non potest ungi extrema unctione qui non est capax huius sacramenti.

Quando dubitatur de uita alicuius, hac forma utendũ est: Si es mortuus, non ungo te, si uerõ mortuus nõ es, ungo te hac sancta unctiõe.

Impœnitenti nõ debet dari extrema unctio.

Insani semper non possunt esse participes huius sacramenti, quoniam non habent actualia peccata.

Deuotio suscipientis auget meritum ex parte operis operantis, sed sacramentum unctiõis habet suam efficaciam ex opere operato.

Nec infantes possunt participes fieri huius sacramenti, quia nondũ habent actualia peccata.

Aetas ad extremam unctionem apta, æstimanda uenit ex ratione, ad quam qui uenit, & nouit quid bonum, quid ue malum est, is potest unctione uti.

Maria uncta fuit plenitudine spiritussancti, unde

unde non opus habuit extrema unctione.

Quantũ ad corporalia remedia attinet, non opus est, ut totum corpus ungatur, sed tantũ illa membra, in quibus principaliter inest morbus, ita extrema unctione, non omnia corporis membra unguntur, sed tantum illa, ex quibus oriuntur, & per quæ perficiuntur peccata.

Tres uirtutes animæ sunt, quæ inclinant nos aduenialia peccata: uirtus cognitiua, uirtus cõcupitiua, & uirtus sensitiua, quare in omnibus his membris, quantum concedit honestas, fieri potest unctio. Cognitiua uirtus & sensitiua in quinq; sensibus agunt. Vnde quinque sensus ungi debent: Concupitiua in lumbis & pedibus, unde &c.

Septem sunt capitalia membra, quę ungi debent: quinq; sensus, lumbi, pedes, ocuii, aures, manus.

Scotus, Brianson, & Scoticuli, undecim partes, quæ ungi debent, enumerant.

~~Vnctiones omnes referuntur ad unum instans prolationis uerborũ ultimæ unctionis, pro soluenda unitate sacramenti.~~

Manus sacerdotis in extrema unctione, nõ intus sicut laico, sed foris ungũtur, quia sacerdotis manus prius in ordinatione unctæ sunt.

Vbi deficiunt membra, quæ ungi debent, proxima pars corporis loco deficientis illius membri ungi debet.

Quæstio

Quæstio est, an natura cœcus ungi debeat? Respōdetur affirmatiuè, nam licet cœcus operatiuo uisu non peccauit, tamen mala ad uidendum concupiscentia peccauit.

Quidam statuunt, unam unctionem in uita factam sufficere, quidam putant post annū primum iterandam esse, si quis rursum in morbum incideret, quidam post tres menses concedunt repetitionem, quidam toties repetēdam permittūt, quoties quis in lœtalem morbum inciderit &c.

Nihil maculati introibit in cœlum, ergo festinanda est extrema unctio, per quam purgemur ab omni macula.

Extrema unctio operātur in gratiam ex uirtute sacramentali, seu uirtute sacramenti.

Si duo essent in æquali merito: alter discederet hinc sine extrema unctione: alter cum extrema unctione, tunc hic posterior longè beatior fieret, quàm prior, & haberet altiorem gradum in uita æterna, quia ~~Deus maiorem gloriam salutis dat illis, qui hic in terra habent maiorem gratiam.~~

Si quis in pœna purgatorij esset, tunc libentius pœnam usq; ad nouissimum diem pati deberet, quàm unum gradum per unctionem acceptum, non habere.

Venia peccatorum uenialium est proprius extremæ unctionis effectus. Et est hic certus ex la-

Iacobo, quando ait: Si quis infirmatur &c.

Est extrema unctio remedium contra peccata, non originalia, quæ baptismus tollit, neque contra mortalia, quæ pœnitentia aufert, sed tantum uenialia.

Sacramenta licet in genere tollant uenialia peccata, extrema tamen unctio proprie tollit.

Extrema unctio tollit quoq; humanas infirmitates, ex quibus non potest efficaciter operari opera uitæ: item, tollit tentationes Satanæ &c.

Extrema unctio armat & animat hominem, ut cum diabolo tentante confligere possit.

In baptismo datur fides. In cõfirmatione, fortitudo. In sacramento altaris charitas. In ordine scientia. In pœnitentia iustitia. In matrimonio continentia & modestia. In unctione cõfirmatio spei.

Vnctio extrema, quanquam per se non curet mortalia peccata, tamen per accidens curat, ut si quis in extrema necessitate mortis esset de peccato mortali attritus & cõtritus, modo accipiat extremam unctionem, salutem cõsequi potest, aliàs damnatur. Item fieri potest, ut quis confessus, tamen non accipiat absolutionem, propter suam indignitatem erga pœnitentiam, ad quam licet ineptus sit, tamen ad unctionem aptus esse potest. Item, fieri potest, q; quis confessus, in peccato mortali adhuc sit

quo

quod tamen tollitur per extremam unctionē.

Tollit tandem extrema unctio magnā partem temporalis pœnę, quam quis ferre cogeretur propter sua peccata, siue hic, siue in purgatorio. Vt si quis discedens hinc sine unctione, deberet ad sexennium pati in purgatorio, si accideret unctionem, minueretur tempus pœnę & pœna simul.

Quando eleemosynæ & orationes pro mortuis tollunt pœnam peccati, cur idem non faceret extrema unctio?

Sæpe extrema unctio etiam corporis sanitatem, unà cum sanitate animæ adfert.

Sacramenta post mortem Christi efficaciora sunt, quàm ante mortem eius.

Extrema unctio captiuos ducit malos spiritus, quo minus nocere & tentare possint.

Ad aliquot dies se continere, ne quis post acceptam unctionem, nudis pedibus terram attingat, decet Christianum, & spectat ad dignitatem ac reuerentiam tanti sacramenti.

Membra extrema unctione uncta, cum stupa extergi debent, stupa uerò comburi debet, aut in fluentem aquam proijci.

Homo per se nullo sacramento opus habet, quia Deus suam uirtutem non allegauit ad sacramenta.

Nullo modo concedendum est, sacramenta nouę legis nō conferre gratiā iustificantem, non

non ponentibus obicem, quia hæc opinio contemptum reconciliat sacramentis.

Nihil probabile habet hoc argumentum: Omne quod non est ex fide, peccatum est: ergo sacramenta nouæ legis non conferunt gratiam illis, qui non ponunt obicem.

Sacramenta etiam incredulis dant gratiam.

Falsum est, solam fidem nõ ponere obicem, & cætera omnia obicem esse.

Positionem obicis intelligunt scholastici de actuali tantum proposito externi peccati.

~~Tantæ uirtutis sunt sacramenta Ecclesiæ, ut solo etiã suscepto uoto hominem saluare queant. Hinc catechumenos saluos fieri certa fide~~ credimus. Hinc subita morte morientes, uolentes habere sacramenta, æternæ redemptionis participes fieri, sancta docet Ecclesia.

Nõ sequitur. Christus est, qui crimina remittit, qui baptizat &c. ergo non ui sacramenti accipimus gratiã, remissionem peccatorum &c.

Sacramentum dicitur à sacrando passiuè, sicut medicamentum à medicando, & ornamentum ab ornando: sic sacramentum est aliquid, quo quis sacratur.

Sacramenta sunt medicamenta perfecta, & pigmenta odorifera, & unguenta salutifera, salutifera respectu ægroti curandi, odorifera respectu Dei placandi.

Sacramentũ accipitur tripliciter: uno modo

pro

pro sacro mysterio diuinitatis, incarnationis, &c. Secundo pro sacro signo, uel sacræ rei signo, & hoc modo extendit se ad sacrificia & ceremonias ueteris Testamenti. Tertio modo, pro signo gratiæ efficaci & certo, & sic noui Testamenti signa dicuntur sacramenta.

De sacramentis noui Testamenti dici potest solum, quòd dant gratiam ex opere operato, de ueteris sacramentis non potest dici.

Sacramentum est corporale uel materiale elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine representans, in institutione significans, ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem & spiritualem gratiam.

Sicut habet se aqua ad diluēdas maculas corporales, sic sacramenta ad abluendas maculas spirituales.

Efficacia sacramenti pēdet ex idoneitate suscipientis.

Non est ponenda uirtus supernaturalis in sacramentis.

Sacramenta nouæ legis sunt causæ, sine qua non, quia sunt causæ effectus sacramentalis, & non causæ naturalis. Item ex uoluntaria institutione diuina sine eis non causatur effectus sacramentalis, causatur autem eis positis: ergo sunt causæ sine qua non, ex descriptione causæ, sine qua non.

Sacramentum matrimonij in noua lege primum

mum accepit uim conferendi gratiam.

Sacramenta sunt uasa nouę legis ex uirtute operis operati.

Tria pertinent ad sacramenta: uerbum, res, & intentio conferentis.

Sacramenta ueteris legis, & si non contulerunt gratiam ex opere operato, tamen contulerunt gratiam ex opere operante, siue per modum meriti ex deuotione suscipientis.

Morbus, seu culpa originalis tollitur per baptismum, actualis culpa mortalis per pœnitentiā, culpa uenialis per extremā unctionē. Ignorantia & difficultas discernendi inter bonum & malū per ordinem, quo datur clauis scientię ad discernendum. Malitia, siue inclinatio ad malū in uoluntate, per eucharistiam, quę mutat suscipientem in susceptum, incorporat & unit, & per hoc uoluntatis inclinationem malam in bonam transformat. Contra morbum, qui est infirmitas resistendi & proficiendi in irascibili, datur confirmatio, quæ roborat ad confitendū nomen Christi in persecutione. Contra concupiscentiam illicitorum in concupiscibili datur matrimonium, quo excusatur carnalis concupiscentiæ actus à crimine.

Sacramenta legis naturæ tria fuerunt: decimę, sacrificia, & oblationes. Decimatio significabat remissionem peccatorū propter numerum, quia drachma perdita fuerat & inuenta.

Sacrificia carnis macerationem: oblatio significabat boni operis exhibitionem.

Sacramenta nouæ legis à sacramentis uetеris legis, sic differunt: Illa implentur amore, hęc implebantur timore. Illa sunt signa gratiæ, hęc nō erant. Illa sunt signa & causę, hęc uerò signa tantum. Illa conferunt & dant gratiam, quā continent, hæc non conferebant, nec dabant.

Sacramentorum gratię, uirtutū, & donorū distinguūtur tantum ratione, nō re, nec essentia propter cōparationem diuersam ad diuersos effectus, quia gratia sacramentalis dicitur, in quātum ordinatur ad sanandam animam à morte peccati, uel ad sanitatem cōseruandam uel augendam. Gratia uirtutum dicitur, in quantum ordinatur ad bene operandum, est tamen in re idem habitus, quo anima sanatur per sui iustificationem, & dirigitur ad meritoriam operationem. Per gratiam sacramentorum intelligitur gratia, quæ est uirtus uel causa uirtutis, aut forma uirtutis.

Habent & sacramenta imperfectionem annexam, igitur non manent in patria.

Duplex effectus est sacramētalis, alter sequitur opus operatum, qui propriè dicitur sacramentalis effectus, alter sequitur opus operans.

Quia homo ad peccandum proclinis est, igitur cōfirmationis sacramentū institutū est, ut homo per illud cōfirmetur, ne amplius peccet.

Confir

Confirmatio non est, nisi crux fiat in fronte.

Quicquid ceremoniarum agit circa cõfirmationem, ex ordinatione diuina est.

Confirmatio necessaria est ad salutem, à Christo instituta, & per manus apostolorum Ecclesiæ Romanæ tradita.

Non paruo gloriæ præmio priuatur, qui sine confirmationis sacramento decedit, illo scilicet gradu gloriæ, qui respondet gratię confirmationis.

Extrema unctio est unctio hoïs infirmi pœnitentis, facta in determinatis corporis partibus cũ deo ab episcopo cõsecrato, ministrata à sacerdote, simul uerba certa cũ intẽtione debita proferente ex instituto diuino, efficaciter significans curationẽ finalẽ ueniliũ peccatorum.

Duplex est effectus unctionis extremæ, peccatorum remissio & corporalis infirmitatis alleuiatio.

Rectius sentiunt, qui credunt extremam unctionem à Christo institutam esse, quàm ab apostolis.

Extrema unctio ritè suscepta delet uenialia, imò uidetur, quòd absoluit ab omni culpa coniuncta petitione recipientis, ita quòd dignè recipiens etiam ab omni pœna liberetur tum uirtute sacramenti, tum quia petit piè, perseueranter pro se & iustè.

Effectus sacramentorũ nouę legis sunt, à pecca-

to mundant, in bono cõfirmant, corpori Christi mystico incorporãt, ad futurã uitam præparant, erudiendo illuminãt, à malo reseruãt &c.

In dispensandis sacramentis pręcipuè requiritur intentio dispensantis.

Sacramenta nouę legis iustificant, quantum ad opus operans, & quantũ ad opus operatũ.

Effectus cõfirmationis præcipui sunt: gratiã in baptismo datã cõfirmare, ad militiam spiritualem pręparare, ad cõstantem confessionem Christi incitare &c.

Sacramenta sunt quędam actiones hierarchicæ, ordinatæ ad diuersos effectus spirituales.

Sacramentum non est cuiuslibet sacrę rei signum, sed tantum sanctificantis homines.

Materia sacramentorum pręter baptismũ et eucharistiã, rectè benedicitur.

In sacramentis indigentibus materia sanctificata, manet uirtus sacramenti in materia parti aliter, post usum eius: in alijs autem nihil.

Sacramenta sunt causa remissionis peccatorum, sine qua non.

Intentio Ecclesiæ sufficit ad perfectionem sacramentorum.

Hęretici conferunt quidem sacramentũ, sed non rem sacramenti.

Effectus sacramentorum duplex est: primus est gratia, secundarius character uel aliquis ornatus animæ.

Homo

Homo non potest dare gratiam, potest tamen dare per sacramentum &c.

Sacramenta ueteris legis nõ diluebãt peccata, quo ad maculã, sed quo ad reatum.

Sacramenta nouę legis conferunt suos effectus ex opere operato.

Nouę legis sacramẽta iustificant, & sunt meritoria ex se.

In sacramento sunt duo: opus operans, id est usus sacramẽti, & opus operatum, id est, ipsum sacramentum.

In confirmationis sacramento, character est res & sacramentum.

Confirmatio est nobilius sacramentum baptismo, quo ad ministrum & gratiam.

Cõfirmatio fuit instituta a Christo, quia posuit manus super pueros.

Confirmans & confirmandus debent esse in gratia, & debent esse confessi & ieiuni.

In confirmatione confertur plenitudo gratiæ & spiritus sancti.

Confirmatio facit hominem nitidum, & seruentem in conscientia.

Per cõfirmationem accipimus remissionem peccatorum. Cõfirmatio datur cõtra infirmitatem originalis peccati, non actualis.

Datur extrema unctio cõtra reliquias peccati actualis, non autem peccati originalis.

In ultima unctione infunditur gratia, quæ

effectum ſacramento præbet.

Extrema unctio cauſat gratiam & remiſſionem peccatorum, ideo habet uim illuminatiuam & purgatiuam, licet non ita plenam, ſicut baptiſmus.

DE BAPTISMO.

In baptizato non remanet peccatum, ſed tollitur, ut amplius non ſit.

Baptiſmus iuſtificat & confert gratiam ex opere operato.

Baptiſmus etiam illos iuſtificat, qui non ponunt obicem.

In baptiſmo confertur remiſſio peccatorũ, nõ propter fidem, ſed dignitatem fideiuſſorũ.

Trina immerſio in ſacro baptiſmo, iuris diuini eſt.

In baptiſmo tollitur reatus, non pœna.

Ceremoniæ baptiſmo per homines additæ, ſine ſcrupulo conſcientiæ, & magno peccato, omitti non poſſunt.

Paruuli cum hinc ſecedunt ſine baptiſmo, in limbum perueniunt, in quo nec bene, nec malè habent.

Baptiſmi negocium, etiam quo ad ſignum, momentaneum eſt.

Baptiſmus tantum ad primam condonationem pertinet, non ad ſecundam.

Ba-

Baptismus non deputatur toti cursui uitę nostræ, nec spectat ad totam uitam.

Vis baptismi per peccatum excinditur, quātum ad filium lucis.

Immensum discrimen est, inter baptismum Christi & Ioannis.

Ioannes Baptista non fuit prædicator Euangelij.

Aqua baptismi est benedicēda, & baptismo præmittendus est exorcismus.

Ceremoniæ baptismo additæ, sub peccato conscientiæ seruandæ sunt.

Lauacrum baptismi tollit originale peccatum, sed etiam lauacrum baptismi per se.

~~Omni baptizato Deus dat fidem.~~

Character, qui in baptismo uel in ordine imprimitur, non est res ficta sine scripturis.

Baptismus ex opere operato cōfert gratiā, remissionem peccatorum, iustitiam &c. quia apostolus ait ad Tit. 3. Sed secundū suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, ac renouationis spiritussancti, quem effudit in nos opulentè, per Iesum Christum seruatorem nostrum.

Baptismus Ioannis non fuit sacramentum, quia non contulit gratiam, tamen reducitur ad sacramentum nouæ legis, quia accessorium naturam sequi debet principalis.

Damascenus ponit octo genera baptismi.

Laicus in baptizando filio aut filia, non debet recusare ministrum peccatorē, quia laicus non habet iudicare de suo parrocho.

Baptismus infundit & imprimit animæ signum seu characterem, qui non potest extingui, aut auferri ab anima.

Hic character significat, quōd quis sacramēntum baptismi accepit, quo etiā in inferno Christianus præ Iudæo ac gentili cognoscitur. Ecc.

Ad Eph. 1. In quo posteaquam credidistis, obsignati estis spiritusancto pmissionis, qui est arrabo hęreditatis nostrę &c. Ergo uerum est, in baptismo imprimi animæ characterem.

Duo sunt, quæ spectant ad ornatum baptismi, exorcismus & catechismus.

Catechismus tā circa paruulos, q̄ circa adultos in baptismo, est iuris diuini, quia Christus ait: docete &c.

Ceremoniæ circa baptismū sunt iuris diuini à spiritusancto per apostolos institutę, ad significandam & ostendendā dignitatem baptismi.

Ceremonię ante baptismū ad hoc cōducunt ut aliquo modo per illas sanctificentur infantes & prępārentur. Id quod significauit Ezechiel, quando dixit ca. 36. Cum sanctificatus fuero in uobis corā eis, tollam quippe uos de gentibus, & congregabo uos de uniuersis terris, & adducam uos in terrā uestrā, et effundam super uos aquā mundā, et mundabimini ab oībus inquinamentis uestris.

Ex-

Exufflatio in baptiſmo eſt inſtitutum apoſtolorū, imò inſtitutum Chriſti, quia Chriſtus Ioannis 20. inſufflauit in diſcipulos, & dedit eis ſpiritumſanctum.

Sal conſecratum quod infanti in os imponitur circa baptiſmum, ſcripturę conſentaneum eſt, & ab apoſtolis inſtitutum, quia in Leuitico legitur: Quicquid obtuleris, id ſale condies, & non abijcies ſal pacti Dei tui à ſacrificijs tuis.

Apertio in baptiſmo, ante mille & ducentos annos in uſu fuit.

Oleum quo unguntur baptizandi, ab apoſtolis ſuum initium cœpit, & à ſpirituſancto apoſtolis inſtillatum fuit, quia & in ueteri teſtamento ungebantur ſacerdotes.

Ceremonię circa ſacramentum baptiſmi, faciunt ad dignitatem baptiſmi, & ad cultum Dei.

Conſultius & magis pium eſt, paruulum offerre laico baptizandum, quàm hæretico. Eccius.

Nouem ſunt baptiſmi. Baptiſmus diluuij. Secundus maris rubri. Tertius luſtrationis. Quartus Ioannis. Quintus Chriſti. Sextus pœnitentię, qui purgat à pœna & culpa. Septimus fluminis à Chriſto inſtitutus. Octauus eſt ex linguis igneis. Nonus eſt ſanguinis, & iſte eſt perfectiſſimus, quia facit homines euolare ad cœlos.

Baptismus dicitur ablutio in aqua, non aqua, quia baptismus non est aqua, quæ est res permanens, sed lotio in aqua, quę est operatio transiens.

Baptismi effectus est triplex: characteris impressio, gratiæ infusio, & culpæ & pœnæ remissio.

Veniale peccatum tollitur baptismo, non tanquam repugnans gratię, sed tanquam repugnans gloriæ.

Qui paruulus sine baptismo decedit, non est sepeliendus in polyandro benedicto, qui uerò secundum partem in utero matris baptizatus est, in polyandro benedicto est sepeliendus.

Baptismus uerus est, cui nihil deficit requisitum adesse sacramenti, & quod imprimit characterem.

Malitia suscipientis potest impedire uerum baptismum.

Non baptizatus, credens se baptizatum, saluatur.

Additæ baptismo ceremoniæ, etsi non pertineant ad essentiam, pertinent tamen ad eius solemnitatem.

In baptismo imprimitur indelebilis character, qui est incipientium in ecclesia. Est autem character signum distinctum indelebile.

Octo sunt de solemnitate baptismi, quę non sunt

ſunt de ſubſtantia, Vnde uerſus:

Sal, oleum, chriſma, cereum, chriſmale, ſaliua,
Flatus, uirtutem baptiſmatis iſta figurant.

Hæc cum patrinis non mutant eſſe, ſed ornant.

Baptizandus in quatuor locis inungi debet, in fronte, in uertice, inter ſcapulas, & in pectore.

Effectus baptiſmi ſunt hi ſequentes: Preparat ad alia ſacramenta, à peccato mundat, delet originalem culpam, fomitem remittit, pœnam relaxat, rationalem uim animę illuminat, concupiſcibilem ad bonum inflammat, iraſcibilem confortat, gratiam tribuit, characterem imprimit, fomitem mitigat, comunionem Eccleſię preſtat, à ſatisfactione exteriore liberat, ianuam cœli aperit, facit iuſtum &c.

Catechiſmus & exorciſmus præmittuntur baptiſmo tanquam præparatoria, ut in baptiſmo gratia efficacius operetur.

In neceſſitate poteſt fieri baptiſmus, in aqua mixta cum Chriſmate, quia non ſoluitur ſpecies eius.

Solemnitas, ritus & ceremoniæ circa baptiſmum, proſunt ad deuotionem & inſtructionem.

In baptiſmo adultorum non requiritur uoluntas abſoluta, ſed ſufficit conditionata, per minas & flagella.

Actus

Actus interior non est de necessitate baptismi, ne in adultis quidem.

Charitas non requiritur in baptizandis, nec contritio, sed sufficit attritio.

Baptizandi sunt etiam dormientes propter periculum.

Apparente aliquo membro, si imminet periculum, debet rebaptizari puer, rebaptizandus: nisi sit caput.

Baptismus est ianua omnium sacramentorum, in quantum est causa characteris & gratiæ.

Effectus baptismi duplex est, primus character, secundus gratia.

DE COENA SEV Missa.

Cœna ex opere operato iustificat & confert gratiam.

Cœna etiam illos iustificat, qui non ponunt obicem, hoc est, non credunt.

Rectè faciunt, qui accessuri ad cœnam, innituntur & confidunt in suam cõfessionem, contritionem, orationes, ieiunia, & alias preparationes.

In cœna non propter fidem accipimus remissionem peccatorum, sed quia digni accedimus.

Corpus

Corpus Christi in cœna tam magnum adest, quàm magnum pependit in cruce.

Quia in cœna Christus summa illa Dei maiestas adest, quare pium est multas ceremonias addere, quibus magnificè tractetur Christus.

Cœna Domini est Missa priuata, oblatio seu sacrificium applicandũ pro uiuis & mortuis, ut illud sacrificium mereatur eis remissionem culpæ & pœnæ.

In ueteri testamento fuerunt sacrificia propiciatoria pro peccatis: ergo & in nouo testamẽto oportet esse sacrificium pro peccatis, hoc autem offertur in Missa.

Sacrificia ueteris testamenti sæpius offerebantur. Christus est sacrificium uel hostia in ueteri testamento promissa: ergo Christus sæpius offerri debet.

Abel reliquit suo sacrificio typum sacrificij in Missa: ergo Missa est sacrificium.

Melchisedech obtulit panem & uinum in typum, item Christus obtulit in cœna panem & uinum, quia erat sacerdos secundum ordinem Melchisedech: Ergo &c.

Fit mentio altaris in nouo testamento: ergo necessariò requiritur sacrificium.

Canon applicat oblationem tanquam satisfactionem pro uiuis & mortuis, quia applicat eam pariter patriarchis omnibus, prophetis, apostolis &c. ergo Missa est sacrificium, quod

pro

pro uiuis & mortuis applicari debet.

Malachias inquit: ab ortu solis usq; ad occasum &c. item in omni loco incensum offeretur nomini meo, & oblatio munda: ergo cœna est sacrificium &c.

Sicut in ueteri testamento iuge fuit sacrificium, ita & Missa in nouo testamento iuge sacrificium esse debet.

Vtraq; species laicis iure diuino prohibita est

Ratio non potest comprehendere, sanguinem posse diuidi à corpore: ergo qui corpus accipit, non eget altera specie.

Missa sanctificat, iustos facit, & à peccatis liberat.

Missa sacrificiũ est, nõ signũ sacrificij tantũ.

Missa sancti & iusti sacerdotis oĩbus prodest.

Missa est opus faciendum à certo ordine institutum ad placandum Deum pro alijs.

In Missa uerè offeruntur corpus & sanguis Christi pro uiuis & mortuis.

Eucharistia adoranda est.

In eucharistia non manet substantia panis & uini, sed fit transsubstantiatio panis & uini.

Missa mali sacerdotis ex opere operato utilis est.

Officium Missæ est satisfactorium, quod offertur pro defunctis, tribulatis &c. & quod potest alteri applicari.

Canon missę pius & catholicus est, & ab apostolis institutus.

Missæ

Missæ pro mortuis, mortuos iuuant, ut liberentur è purgatorio.

Christus sua passione satisfecit pro peccato originis, & instituit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & uenialibus.

Missa est opus tollens peccata uiuorum & mortuorum ex opere operato.

Quęstio est apud scholasticos, utrũ una Missa pro pluribus, tantundem ualeat, quantum singulæ pro singulis.

Missa ex opere operato iustificat & tollit reatum culpæ & pœnæ, in his pro quibus fit.

Sacrificio Missæ redimuntur satisfactiones mortuorum.

Apud Lucam in Actis fit tantum mentio panis: ergo una pars tantum porrigenda est laicis in cœna.

Inter laicos & presbyteros habendũ fuit discrimen: ergo iustè laicis negata fuit pars altera.

Laici una parte cõtenti esse debent in cœna, quia 1. Regum 2. legitur, quòd filij Heli, amisso summo sacerdotio, petituri sint unam partem sacerdotalem, qua parte significata est una species in sacramento laicis porrigenda.

Magnũ periculũ timendum est in effusione calicis: ergo laicis non est danda pars altera.

~~Missa audita prodest indoctis in fide ecclesiæ, etsi Missam in lingua latina audiant, nec intelligant.~~

Au-

Audire Missam est cultus Dei, siue auditor intelligat, siue non intelligat.

Missæ auditæ & spectatæ ex opere operato prosunt audientibus & spectantibus, etsi illam non intelligant.

Missa ex opere operato confert gratiam, & applicata pro alijs meretur eis ex opere operato remissionem culpæ & pœnæ, & impetrat quicquid opus habemus in omni uita.

Sacrificia Leuitica meruerunt coram Deo remissionem peccatorum: ergo & sacrificium Missę applicatum pro alijs, meretur illis remissionem peccatorum.

In ueteri testamento fuit Pontifex, qui obtulit sacrificia pro peccatis populi: ergo & in nouo testamento oportet sacerdotes pontifices esse, qui offerant sacrificia pro peccatis.

Corpus Domini semel oblatum in cruce, pro debito originali, iugiter offertur pro quotidianis delictis in altari, ut habeat in hoc Ecclesia munus ad placandum sibi Deum.

Missa ex opere operato confert gratiam facienti.

Missa etiam pro iniustis applicata, non ponentibus obicem, meretur eis remissionē peccatorum, culpæ & pœnæ.

Quęstio est apud scholasticos de ualore Missæ à circumstantia personarum illam facientium.

Missa per applicationem liberat animas à pœnis purgatorij.

Missa sacrificium sonat: ergo Missa est sacrificium.

Missa est satisfactio pro pœna & pro culpa ex opere operato sine fide.

Arrij error est dicere in Missa non fieri oblationem pro uiuis & mortuis.

Substantia panis materialis, & substantia uini materialis non remanet in sacramẽto altaris.

Sacramentum cœnæ ex opere operato confert gratiam, quia Christus dicit: Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum habet uitam æternam.

Eucharistia non cõsistit in usu, sed in esse permanenti.

Minister ecclesię, quando non celebrat Missam in lingua latina apud latinos, peccat.

Sacramentum cœnæ præfiguratum fuit ex sacrificio Melchisedech, sub lege naturæ. Melchisedech significat Christum & sic omnem sacerdotem, qui offert Abrahę. id est, cuiq; Christiano, panem & uinum, hoc est, corpus & sanguinem Christi, sub specie panis & uini.

Contra consecrationem corporis & sanguinis Christi, & contra oblationem seu sacrificium Missę, infra mille & quadringentos annos, nullus error extitit, nisi his nouissimis temporibus. Eccius.

Impugnare sacrificium Missę, & ueteremcō suetudinem totius catholicæ Ecclesiæ euertere, est agere contra apertam ueteris & noui testamenti scripturam, contra Patrum scripta, contra Concilia &c. Eccius.

Christus tripliciter seipsum obtulit. Primū figuratè in agno Iudaico, & in reliquis sacrificijs legis. Secundo, sacramentaliter, instituendo sacramentum cœnę, quod sine dubio in sua benedictione obtulit, & tanquam sacrificium, offerendum nobis cōmendauit. Tertio idempticè seu realiter, tanquam uictimam in cruce seipsum obtulit.

Christus ait: Hoc facite in mei recordationem, his uerbis instituit Missam, ut perpetuum sacrificium in Ecclesia.

Error est Missam esse recordationem cœnæ Christi.

Contra omnem scripturam est & rationem Missam uocari cœnam. Eccius.

Non sequitur. Si Missa est recordatio passionis & sacrificij Christi: ergo non potest per se sacrificium esse.

Duo sunt sacrificia Euangelica. Alterum sacrificiū Christi, quo semel obtulit in cruce pro peccatis. Alterum est sacrificium corporis & sanguinis Christi in sacramento, hoc non fit in cruce amplius, aut ut moriatur Christus denuo, sed in mysterijs.

Sicut

Sicut in ueteri testamento Christus oblatus est figuratè, ita in nouo testamento offertur sacramentaliter. Sed quemadmodum figuratū sacrificiū inferius fuit sacrificio Christi uero in cruce, ita sacramentale sacrificium inferius sacrificio Christi uero, ast tamen sacramentale sacrificiū excellentius est sacrificio synagogę.

Missa est sacrificium, quod offertur pro omni statu totius christianismi, pro uiuis & mortuis.

Danielis 12. fit mentio iugis sacrificij: ergo Missa sacrificium est.

Missa per se non est testamentum, sed est mysterium noui testamenti.

Testamentum omnia bona testatoris sub se comprehendere debet, id quia in missa non fit: ergo Missa non est testamentum.

Substantia panis & uini in sacramento cessat.

Accidentia panis & uini in sacramento manent.

Accidentia in sacramento, ueluti albedo, gustus &cæt. manent, nec adhærent substantiæ.

Panis mutatur in corpus Christi, & uinum in sanguinem Christi.

Corpus Christi incipit esse in sacramento sine medijs, mouendo se per medium locum. Eccius,

Integrum corpus Christi sub pane est, sicut & integrum est sub sangnine. Nam licet duæ sint species sacramenti, tamen sub singula specie, integrum corpus est.

Hostia quando frangitur, credendum est, sub singulis fractis partibus, dum sacerdos celebrat Missam, quanq; partem per se, esse integrum sacramentum.

Etsi Paulus sacramentum cœnæ panem uocet, tamen non est credendum, quòd propterea substantia panis in sacramento maneat.

Christus dixit: Hoc est corpus meum: ergo tenenda est transubstantiatio, & quòd substantia panis in corpus Christi transmutetur.

In ueteri testamento arcam cum magna laude & reuerentia circumtulerunt: ergo & sacramentum circumferendum est.

Sufficit laico una species ratione indignitatis suæ.

Vbi anima est, ibi sanguis est, sub pane est anima: ergo sub pane quoque sanguis est, unde sequitur communicanti Laico sufficere unam speciem, qua simul sumit & corpus & sanguinem.

Quatuor sub specie panis sunt, corpus Christi, anima Christi, deitas Christi, & sanguis.

Agnus Paschalis sub una nempe carnali specie

cie datus est: ergo & sacramentum cœnæ sub una specie porrigendum est.

Vtraq; species fortassis in primitiua ecclesia, in aliquibus locis in usu fuit, sed non in omnibus.

Putat Eccius utramque speciem in primitiua ecclesia, tantum distributam esse in his tribus summis festiuitatibus, in die Paschæ, in die Pentecostes, & in die Nataliciorum Christi.

Christus ipse sub una specie porrexit apostolis in Emaus sacramentum, quando accepto pane, gratiarum actione facta, & pane fracto, porrexit illis panem.

Causa utriusque speciei in primitiua ecclesia, hæc fuit. Quia in primitiua ecclesia magna extitit persequutio & effusio sanguinis: ergo oportuit sumere tum utranque speciem, in signum admonitionis, quo admonerentur homines, ut essent ad ferendam sanguinis effusionem parati.

Consuetudo unius speciei tandem in ecclesia uictoriam, idque ex multis causis obtinuit, deleta utraq; specie pro laicis. Prima est periculum, quod accidere potest in porrectione calicis, ne quid effundatur in dehonestatem tanti sacramenti. Secunda, quia periculosum est conseruare speciem uini. Nam uinum facile corrumpi potest, in acetū mutari, alterari &c.

Vnde postea nausea suboriri posset sumentibus. Tertia, quia mu ta pericula accidere possunt, quando uinum ad alia atq; alia loca, sæpe remota defertur, ut interim taceamus, quod multi homines à uino prorsus abhorrent etiam natura, quidam ex alijs accidentibus. Quarta, quia quantum ad formam attinet, periculosum est, ne quis uel labijs, uel lingua, uel barba, aliquid uini aut attingat, aut reseruet. Quinta, quia Deus miraculis sępe testatus est, unam speciem sibi placere, & utramq; displicere. Sexta, quia ut ecclesia multas hęreses circa sacramentum uitaret, unam speciem amplexa est. Sic quando Nestorius, exceptis alijs hęresibus, & hac infectus fuit, quòd statuit, sub specie panis esse tantum corpus Christi, & sub specie uini tantum sanguinem, unde etiam pro necessario duxit, ut laicis porrigeretur utraq; species. Sic Pelagius sensit sub utraq; specie laicos communicandos esse iuxta locum Ioannis capi. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis in uobis uitam.

Laicus sub una specie tantum accipit, quantum sacerdos sub duabus speciebus.

Quando Christus dixit, Matthæi 26. Bibite ex hoc omnes &c. non omnibus in genere dixit, sed sacerdotibus tantum.

Occa-

Occasionem prohibendi alteram speciem, præbuit Concilijs Constantiensi & Basiliensi, ne error latius serperet, ex quo quidam diuidebant Christum propter duas species. Altera fuit occasio, quia tum multi sentiebant communionem utriusq; speciei in uerbo præceptã esse & necessariam.

Ecclesia prohibuit alteram speciem, nõ quia per se iniusta esset, sed quia uidebatur multorum errorum occasio esse.

Ecclesia non modo habet liberare ecclesiam à rebus per se malis, sed etiam à rebus per se non malis, sic liberauit ecclesia ecclesiam ab altera specie in sacramento.

Ecclesia sine omni dolo ac fraude instituit alteram speciem: ergo laicus una specie contentus esse debet.

Primitiuæ ecclesiæ Christiani sua sponte abstinuerunt se ab altera specie, ne sacramentum dehonestarent.

Verba Gelasij, quibus precipit, ut integrum sacramentum sub utraq; specie accipiatur, nõ sunt intelligenda de laicis, sed de sacerdotibus tantum.

Loci Mathæi 26. Marci 14. & Lucæ 22. de institutione utriusque speciei, & de porrectione sub utraq; specie, de solis sacerdotibus, non de laicis intelligendi sunt. Nullus enim laicorum, tum præsens adfuit.

Christus utramque speciem laicis nec præcepit, nec prohibuit, sed Apostolis & ecclesiæ ordinandū reliquit, iuxta illud: Multa adhuc habeo uobis dicere, quæ modo portare nescitis &c.

Quamuis in primitiua ecclesia utraq; species hominibus data fuerit, arbitrio tamē ecclesiæ, aut potius Papæ, qui est omni ecclesia & concilio altior, una duntaxat species laicis, decreta est,

Apostolus ait ad Corinth. 11. Prioris epistolæ. Probet autem seipsum homo &c. quo loco Apostolus ostendit, ut non accedamus ad sacramentum, nisi digni & puri prius.

Oportet accessurum ad sacramentum, certissimū esse, se sine omni peccato mortali esse, si non uelit iudicium sumere.

Sacramentum eucharistię principaliter institutum est in sacrificium & sacramentum.

1 Eucharistia est oblatio benedicta, per quam
2 benedicimur: ascripta, per quam omnes in co
3 lo asscribimur: rata, per quam in uisceribus
4 Christi censemur: rationalis, per quam à bestia
5 li sensu exuimur: acceptabilis, ut qui nobis displicemus, per eam acceptabiles eius unico filio simus.

Eucharistia est species panis uel uini, corpus Christi & sanguinem uirtute sacerdotalis consecrationis uerè & realiter continens.

Tam

Tam ſpecies panis ſine ſpeciebus uini, quàm uinum ſine ſpeciebus panis ſunt euchariſtia, qua utræq; continent totum Chriſtum, etiam coniunctim non plus continent, quàm alteræ ſolę.

Clericus non excellentius perſoluit diuinũ officium, quàm celebrando Miſſam. Nec populus excellentius, quàm audiendo Miſſam.

Euchariſtia dicitur ſacrificium, cũ in memoriam ſacrificij ſemel à Chriſto oblati, cum quia in eo filius patri iterũ offertur, & ſacrificij fructus ſuſcipienti applicatur.

Verbis conſecrationis debito à ſacerdote prolatis, fit transſubſtantiatio uini in ſanguinem Chriſti, & panis in corpus.

Hoſtiam conſecratam quiſq; rectè adorat.

Corpus Chriſti ſub hoſtia non eſt ſacramentum.

Chriſtus in ultima cœna, prius ſuſcipiens ſacramentum ſacramentaliter tantum.

Dignè manducare eſt ſe ſufficienter præparare.

Ad conſecrandum dignè multa alia requirũtur, ſcilicet & ordo, ueſtes, locus, tempus, orationes, cereæ, ieiunium naturæ & etiam alia quædam.

Quamuis in conſecratione Eccleſiæ, corpus Chriſti incipit habere nouum locum ſub hoſtia non tamen deſerit cœlum, nec mouetur deſcendendo per medios orbes & aëra.

In cœlo corpus Christi est localiter & circumscriptiuè, in sacramẽto non sic, sed definitiuè.

Non caret peccato, qui in triticeo pane scienter celebrat.

Sacramentum Eucharistiæ in ratione sacrificij, nõ tantum prodest his, à quibus sumitur, sed etiam pro quibus offertur. ~~Nihil n. in hac vita magis satisfacit pro mortuis, quantum sacrificium altaris.~~ Et non solum fructificat in bonis & iustis, sed etiã in peccatoribus, pro quibus offertur, ut à peccatis conuertantur.

Eucharistia ex opere operato liberat à malo, & conseruat in bono, uenialia delet, & cauet mortalia.

Accedere ad sacramentum altaris non est in præcepto, nisi in casu, ut semel in anno, & in periculo mortis.

Curati tenentur ad celebrationem Missæ, uel per se, uel per alios dominicis diebus, & maioribus festiuitatibus, quibus populus obligatur ad auditionem Missæ. Tenentur & sacerdotes non curati ratione officij.

Quòd aliquis sit idoneus minister ad sacramentum eucharistiæ, requiruntur aliqua de necessitate, aliqua de congruitate. De necessitate requiritur potestas ordinis, facultas sermonis, integritas intentionis. De congruitate multa requiruntur, quæ ad duo rediguntur, scilicet, remotionem impedientium, ut sunt culpę mortalia.

tles, aut pœnæ canonicæ, puta irregularitas, excommunicatio, suspensio, & quædam, quæ non sunt culpæ nec pœnæ. Item ornamenta, uestes sacerdotales, signa, gestus, orationes. Item locus, uasa, tempus, seruitor respondens.

Et dicitur Missa à mittendo, quia ibi mittitur agnus, id est, Christus ad patrem ad dimittenda peccata nostra. Infra 103.6

Item à dimittendo, ut est in fine, quando populus dimittitur, & diaconus dicit: Ite, Missa est, quæ sic exponi debent, hoc est, securi abite, quia missa est hostia Christus ad patrem, ut intercedat pro nobis.

Communiter solennis Missæ celebratio debet fieri his tribus horis: tertia, sexta, & nona. Missæ priuatæ dici possunt ab aurora usq; ad sextam.

Celebrentur tres Missæ in die natalis domini. Prima, quæ est ante diem, significat tempus ante legem, quando eramus in tenebris. Secunda dum diescit, & significat tempus in lege, quando nondum plena dei cognitio habebatur. Tertia in die plena, & significat tempus gratiæ, in qua iam plena dei cognitio habetur.

Missa non debet celebrari, nisi in loco sacro, super altari lapideo, quia ipse Christus dicitur petra.

Beatus Petrus primus Missam Antiochiæ celebrauit.

Iacobus & Basilius Cæsariensis episcopus, tradiderunt nobis ordinem celebrandæ missę.

Missa sicca dicitur, quum Sacerdos non potest conficere, quia fortè iam celebrauit, uel ob aliam causam, potest accepta stola epistolã & Euangelium legere, & dicere orationem dominicam, & dare benedictionem.

Legitur de Leone Papa, quòd sæpe septies, aliquando etiam nouies Missam celebrauit uno die.

Per auditionem Missæ non solum spiritualia, sed etiam quælibet corporalia & temporalia bona assequi possumus.

Missa inter omnia suffragia pro mortuis, plus prodest ad liberationem è purgatorio.

Transsubstantiatio est mutatio supernaturalis, qua nec materia, nec subiectum manet, sed tantum accidentia sine subiecto.

Effectus eucharistiæ sunt hi: Commemoratio Christi, uiuificatio, ita ut de attrito fiat contritus, corporis Christi mystici incorporatio, spiritualis refectio, deuotionis augmentatio, fomitis mitigatio, uirtutum roboratio, peccatorum remissio, armatio cõtra diabolum, spei eleuatio, amoris excitatio, fidei commendatio angelica cõuiuatio, cœlestis regni collatio, spiritualis delectatio, iustificatio.

Officium Missæ moraliter sic se habet: Introitus significat inchoationem boni, Kyrieleison

inuo

rationem misericordiæ. Primô, tribus modis, quantum ad remissionem peccatorum, quę per petrauimus corde, ore, & opere. Secundo, tribus modis, quantum ad gratiæ collationem, scilicet fidei, spei, & charitatis.

Tertio, tribus modis, quantum ad glorificationem, qua gaudebimus super nos in Deo, & intra nos de nobis, & iuxta nos in proximo.

Gloria in excelsis, significat gratiarum actionem. Collecta deuotam orationem. Epistola et Euangelium nouæ & ueteris legis obseruationem. Graduale & alleluia signant uitæ actiuæ, & contemplatiuæ perfectionem. Offertorium tribulati spiritus sacrificium. Secreta statum uitæ. Præfatio statum patriæ. Sanctus exultationem angelorum præsentium. Canon transitū membrorum in corpus Christi mysticum. Pater noster filiationem per gratiam: Agnus dei liberationem per gratiam diuinam. Triplicatur autem agnus Dei, ut liberemur à præteritis malis, præsentibus, & futuris. Complenda boni operis signat completionem.

Circa alia, quæ ludunt prope Missam, scias, altare significare crucem, calicē sepulchrū, patenam lapidem suppositum, corporale syndonem, in qua corpus domini fuit inuolutum.

Eucharistia est sacramentum & sacrificium.

Proprio quodam suo nomine dicitur hoc sacramentum sacrificium uel hostia.

Eu-

Eucharistia in Missa comparatur sacrificio Melchisedech, Abel, & Abrahæ.

Beati uident Christum sub hoc sacramento uisione intellectuali plena.

Eucharistia in quantum est sacramentũ, prodest tantum sumentibus, in quantum uero sacrificium, prodest etiam alijs.

Corpus Christi offertur pro salute corporis, sanguis Christi pro salute animæ.

Eucharistia auget in beatis gloriam accidentalem.

Eucharistia liberat à purgatorio, in quantũ est sacrificium satisfactorium pro peccatis.

Missa dicitur quasi transmissa, scilicet à populo ad Deum, uel dicitur ab emissione catechumenorum & excommunicatorum.

Accipere aliquid pro Missa, simonia est, non autem accipere ut stipendium. Possunt & accipere denarios, sicut conducti sacerdotes, non quasi precium Missæ, sed quasi sustentamentum uitæ.

In Missa priuata sufficit unus præsens, scilicet seruitor, non autem in Missa solenni.

Missa quadruplici ratione quotidie celebratur in ecclesia, scilicet: quia semper oportet paratam esse medicinam contra quotidiana peccata, ut lignum uitæ semper sit in medio paradisi, ut nobis quotidie Christus uniatur sacramentaliter, & nos quoq; ei spiritualiter, ut sic

apud

apud nos iugis memoria passionis Christi, ue uero agno loco agni typici quotidie utamur ad uesperam.

Pro urgente necessitate, etiam plures Missas licet celebrare in uno die.

Quando in uno die occurrunt diuersa beneficia dei commemoranda, uel impetranda pro uiuis & mortuis, oportet Missam pluries celebrari, si adsit facultas, puta: unam pro festo, & aliam pro ieiunio, uel pro mortuis.

Multiplicatio Missarum multiplicat oblationem sacrificij, & multiplicat quoque eius effectus.

Missa melioris sacerdotis est melior, quo ad annexa: ideo est melius audire eam.

Missa celebratur pro paruulis baptizatis, nõ quidem ad remissionem culpæ, nec ad augmentum gloriæ, sed ad solatium uiuorum, & ad cõmendandum redemptionis nostræ mysterium ad gratiarum actiones pro eis, & ad ostendendum, quòd pertinent ad corpus Christi mysterium.

DE SACRIFICIO.

Mosaica sacrificia propiciatoria, non tantum de propitiatione coram populo Iudaico, sed etiam coram Deo pro peccatis ad iustitiam propiciatoria fuerunt.

Non

Non solum sacrificium Christi, quo ipse se obtulit, sacrificium, pro peccatis fuit, sed et nos iuge sacrificium in Missa pro peccatis nostris offerimus.

Sacrificium Christi propiciatorium, tãtum stat pro originalibus & præteritis peccatis.

Sacrificium Missæ hodie est uerum sacrificium pro peccatis.

Sub nouo Testamento duplicia sunt sacrificia: propiciatoria pro peccatis, & eucharistica.

Nostra sacrificia propiciatoria in Missa, iustificant ex opere operato.

Sacrificium & sacramentum idẽ significant.

Virtute sacrificiorum olim iustificati fuerunt homines, teste Magistro.

Duo sunt sacrificia Euangelica: alterũ, quo seipsum obtulit Christus in cruce: alterum, est sacrificium corporis & sanguinis Iesu Christi, in sacramento.

Sacramentum altaris aliter prodest uiuis, aliter mortuis. Viuis enim prodest sub ratione sacramenti & cibi. Mortuis sub ratione sacrificij &c.

In quantum enim sacramentum est, cibat, & dat gratiam, & perfectionem manducanti, in quantum autem sacrificium, placat Deum. Hostiæ enim placant.

Et quoniam Deus iratus est, non affectione inflictionis, ideo Deum placando non sedat ipsius

affectionē, sed remitti facit pœnę acerbitatem.

Sacramentum Eucharistiæ principaliter institutum est in sacrificium.

Licet semel oblatus est Christus in cruce, in aperta carnis effigie, offertur tamen idem in altari quotidie, relatus in panis uinicq; specie, nō quidem quantum ad ea, quæ pœnam important, sed quantum ad finem salutis.

Sacramentum eucharistiæ in ratione sacrificij, non tantum prodest his, à quibus sumitur, sed etiam alijs, pro quibus offertur. Nihil enim in hac uita est, quod tantum satisfacit pro mortuis, quantum sacrificium altaris. Et non solum fructificat in bonis & iustis, sed etiā in peccatoribus, pro quibus offertur, ut à peccatis cōuertantur.

Sacrificium propriè & semper accipitur pro aliquo facto ad honorem debitum soli Deo, & ad placandum eum.

Sacrificia exteriora sunt necessaria, ut interiora innotescant.

In quolibet sacrificio considerantur quatuor, scilicet: cui, à quo, quid, & pro quibus offertur.

Sacrificia ueteris Testamenti significabant sacrificium eucharistiæ in nouo.

Sacrificia ueteris legis erant instituta ad satisfactionem pro peccatis proprijs.

DOCTRINA SCHOLAST. DE SACERDOTIO, SEV ordine, item de charactere.

Sacerdotium est certus ordo hominum delectorum, ad aliquod opus pro alijs faciendũ, ad placandum Deum.

Ordo impedit matrimonium, & dirimit contractum.

Sacerdotium est, ad quod uocantur sacerdotes, ut pro populo sacrificent, & mereãtur alijs remissionem peccatorum.

Christus sacerdotium non aboleuit, sed in melius transmutauit: sacerdotium figuratum, in sacerdotium Euanglicum, ministros figuratos in ministros ueros.

Si Deus pactum fecit cum filijs Leui subueteri Testamento, multo magis pactum fecit cũ sacerdotibus noui Testamenti, quibus dedit potestatem soluendi, & ligandi. Item, potestatem consecrandi sacramentum altaris.

Ordo est sanctum signũ, quo spiritualis potestas & officium datur consecratis.

Ordo uocatur hoc sacramentum, quia ministri Ecclesiæ non omnes habent æqualem potestatem in Ecclesia.

In ordinis sacramento, confertur ordinata gratia Dei ex opere operato.

Posteriore ad Timoth. cap. 1. Quam ob causam

ſam commonefacio te, ut ſuſcites donum Dei, quod in te eſt, per impoſitionem manuum mearum: Ergo ſacramentum ordinis cõfert gratiã ex opere operato, & ordo ſacramentum eſt.

Ad Titum 1. Huius rei gratia reliqui te in Creta, ut quę deſunt, pergas corrigere, & conſtituas oppidatim presbyteros, ſicut ego ordinarã, &c. Ex hoc loco apertum eſt, Paulum non tantum conſecraſſe presbyteros, ſed & Tito atque ſic alijs conſecrandi poteſtatem dediſſe.

Priore ad Timoth. 4. Citõ ne cui manus imponas. Hic locus apertè oſtendit, quòd ordo conferat gratiam, idque per impoſitionem manuum.

Ioan. 20. Accipite ſpiritum ſanctũ &c. Circa hunc locum cõmuniter dicũt Doctores, quòd Chriſtus in ſacerdotes conſecrarit apoſtolos, quando dixit: Accipite ſpiritum ſanctum &c.

Inſufflatio in apoſtolos, Ioan. 20. ſignũ fuit promiſſę gratiæ, quam accipiunt ſacerdotes ex ſacramento ordinis.

Sex ſunt poteſtates ſpirituales, quæ dantur ſacerdotibus in ordine. Prima eſt poteſtas conſecrandi ſacramentum altaris in officio Miſſæ, & quicquid Miſſæ adhæret, ueluti poteſtas offerendi & ſacrificandi, item orandi pro uiuis, & mortuis. Hanc poteſtatem Chriſtus dedit apoſtolis in cœna, quando dixit; Hoc facite in mei commemorationem.

2. Secunda est potestas distribuend sacramenta, maximè autem potestas ligandi & soluendi, & est hæc potestas clauium.

Hæ duæ potestates non possunt auferri à sacerdotibus ordinaris.

3 Tertia est potestas iurisdictionis. Hanc potestatem habet pastor in sua parrochia episcopus in suo episcopatu, papa per totum terrarũ orbem. Dedit hanc potestatem Christus Petro & sic toti sacerdotum ordini, quando dixit ad Petrum: Pasce oues meas &c.

4 Quarta est potestas prædicandi. Hanc dedit Christus Apostolis & sic omnibus sacerdotibus, in die ascensionis: Ite in uniuersum mundũ & prædicate &c.

5 Quinta est potestas puniendi, quæ excommunicatione exercetur.

6 Sexta est potestas sumendi necessaria ad sustentationem corporis, idque iuxta præceptũ Christi: Edite & bibite, quicquid apposuerint uobis.

Act. 13. Doctores Antiarchiæ consecrarunt Paulum & Barnabam.

Forma consecrandi & ordinandi ministros Ecclesiæ in tribus consistit in ieiunio, oratione & impositione manuum, quæ forma certa est ex ca. 13 Act. circa ordinationem Pauli et Barnabæ.

Per impositionem manuum rectè intelligi-

tur

tur in scriptura ordinario sacerdotum.

Ministri Ecclesiæ per ordinem instarum perfectionis ponuntur, ut per sacerdotalem operationem perfectam consequantur.

Septem sunt ordines seu gradus ordinis. Hos gradus Christus ipse exercuit, & suæ Ecclesiæ reliquit. Sunt autem septem hi gradus, quia sunt septem dona spiritus, quorum qui capax non est, nec illa habet, ille indignè accipit ordinis sacramentum.

Primus gradus ianitorum est, quorum officium est cauere, ne intromittant in templũ malos, ueluti excommunicatos, hæreticos. Horũ figura fuit in ueteri Testamento, eorũ cohors, qui immundos non intromittebant in templũ sicut legitur 1. Para. 26. Ianitoris officio usus est Christus, cum ementes & uendentes è templo eiceret.

Secundus est lectionariorum, quorum officium est, populo prælegere prophetas, & benedicere panes & oẽs nouos fructus. Horũ figura fuit in ueteri Testamento, clamor ꝓphetarũ ad populum Esai. 58. Clama &c. Hoc gradu usus est Christus, cum in Nazareth ueniret in synagogam, & quãdo darent illi librũ, & legebat; Spiritus domini super me &c. Luc. 4.

Tertius gradus exorcistarum est, quorum est adiuuare & eijcere dæmonia. Horum figura fuit in ueteri Testamento, quãdo Solomon

instituit formam adiurandi dęmonia, & eijciendi, sicut meminit Hieronymus in Mat. cap. 12. Hoc gradu sæpe usus est Christus, quando eiecit dæmonia.

4 Quartus acoluthorum, quorum est portare cereos, incendere candelas, parare panem & uinum ad sacramentum &c. Horum figura fuerunt illi, qui præfuerunt in ueteri Testamento aureis candelabris, & septem lampadibus &c. Exodi. 17, Num. 6. Leuit. 14: Christus hunc gradum ipse habuit, quia fuit lux mundi.

5 Quintus est subdiaconorum, quorum est ministrare aquam ad altare, seruire diacono, lauare corporale & linteamina altaris, porrigere calicem & patenam, legere epistolam in officio Missæ &c. Hic gradus figuram habuit in ueteri testamento ex Mathineis, qui à Dauide & principibus erant dati in adiutorium leuitis, primo Esd. 1. Christus hoc gradu usus est, quando post cœnam præcinxit se linteo, & cœpit lauare discipulis pedes &c. Ad ~~hunc gradum~~ nemo admittitur, nisi beneficio aliquo prouisus, aut ipse satis diues.

Nõ:

6 Sextus est diaconorum, quorum est seruire altari, baptizare, prædicare &cæt. Horum figura fuit leuitarum ordo. Hoc gradu usus est Christus, quando peracta cœna, porrexit suis discipulis sacramentum corporis sui, & sanguinis &c.

Sep-

Septimus gradus ſacerdotum eſt, quorũ eſt accipere poteſtatem conſecrandi ſacramentũ altaris, offerendi & celebrandi Miſſam pro uiuis & mortuis. Horum figuræ in ueteri Teſtamento fuerunt filij Aaron, & illorum ſucceſſores. Hoc gradu uſus eſt Chriſtus ipſe, quando poſt cœnam conſecrauit panem & uinum, & tranſtulit in corpus & ſanguinem ſuum.

Inuenti ſunt hi gradus ordinum, ut eſſet diſcrimen aliquod inter miniſtros Eccleſiæ, & Laicos.

~~Cum ra biblica ſcripta eſt, ordinem eſſe ſacramentum.~~

Cum olim Eccleſia anguſtior eſſet, triplices tantum gradus erant, epiſcopi, ſacerdotes & diaconi. Hodie quando Eccleſia amplior eſt, pluribus gradibus opus habet.

In ueteri Teſtamento fuit uiſibile ſacerdotium: ergo & in nouo Teſtamento uiſibile ſit neceſſe eſt.

Sacerdos eſt is, qui Deo dicatus eſt, ad ſacrificia facienda, & dicitur quaſi ſacra dans. Sicut enim rex à regendo dicitur, ſic ſacerdos à ſacrificando uocatur, conſecrat enim & ſacrificat.

Sic quia hæretici habent characterem, igitur habent & poteſtatem conficiendi.

Apoſtolus ait: Non dedit nobis Deus poteſtatem in deſtructionem, ſed in ædificationem: igitur poteſtas miniſterialis non tollitur.

Character ordinis est signum distinctiuum, speciale, indelebile, quo clerici à laicis discernitur, quod non confertur in sacramentis, quæ iterari possunt.

Sacerdos nouæ legis operatur in Christi persona. Pœna satisfactoria in pœnitentia taxatur ad arbitrium sacerdotis.

Character importat triplicem relationem, signi, distinctionis, & similitudinis.

Character est potentia, qua renati in uitam spiritualem, possunt facere operationes similes diuinis, quibus sacramenta efficaciam habent.

Character semper manet etiam in damnatis & est indelebilis.

Character in damnatis non est ordinatus ad finem, sed Deus nihil relinquens inordinatum, eliciet ex hoc aliquod bonum, scilicet, quòd apparebit iustior eorum damnatio, quòd tãtum gratiæ munus neglexerunt.

Non habens characterem baptismi, nullum alium suscipere potest.

Charactere confirmamur trinitati, in sapientia per baptismum, in potentia per ordinem, in bonitate per confirmationem.

Gratia est dignior effectus baptismi, q̃ character, sed non ita proprius.

Character non imprimitur in datione alicuius rei, sed in sola impositione manus, & unctione.

Cha-

Character imprimitur in quolibet ordine.

Character interior est principaliter sacramentum ordinis.

Ordines ecclesię sunt septem, secundum septem respectus ad eucharistiam, non autem secundum gratias gratis datas, nec secundum dona, nec actus hierarchicos.

~~In sacramento ordinis per quod homo fit dispensator cæterorum sacramentorum, conferitur gratia gratum faciens, & maior quàm in baptismo.~~

In quolibet ordine omnia dona spiritussancti dantur, licet singula singulis aptentur.

Quilibet ordo quanto est dignior, tanto magis præualet.

In septennio possunt dari omnes ordines minores, subdiaconatus in tempore discretionis, diaconatus circa uigesimum primum annum, pręcipuè in religiosis, sacerdotium in uigesimo quinto anno, episcopatus in trigesimo.

Ordo sacer impedit matrimonium contrahendum apud omnes Latinos.

Vir suscipiens ordinem sacrum, non potest exigere debitum coniugale.

Character, potestas clauium, & potestas cōficiendi eucharistiam sunt idem per essentiam.

DE POENITENTIA.

Pœnitentiæ tres sunt partes; contritio, confessio, & satisfactio.

Pœnitentia est cessatio ab externis uitijs.

Pœnitentia est qualitas & uirtus in nobis.

Post hanc etiam uitam est pœnitentię locus.

Pœnitentia ex opere operato iustificat, & confert gratiam.

Pœnitentia tantum remittitur ~~actualis~~ culpa, & non pœna, quæ expiatur satisfactione.

Pœnitentia etiam sine fide salutaris est.

Canones pœnitentiales non solum uiuentibus sunt impositi, sed etiam mortuis.

Morituris secundum Canones pœnitentiales debet aliquid imponi.

Canonicę pœnitentię etiam morituris in purgatorium usq; reseruari possunt.

Pœnitentia est præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere.

Canones pœnitentiales recepti sunt in ecclesia, ut illorum opera gratiam mereantur homines.

Pœnitentia habet etiam alia signa sacramentalia, quàm baptismum.

Pœnitentia sacramentum est, etsi careat sensibili signo diuinitus instituto.

Pœnitentia debet incipere à timore.

Pœnitẽtia est secũda tabula post naufragiũ.

~~Fides præcedit pœnitentiam, non est pars~~ pœnitentiæ.

Pœnitentia est quędam dolentis uindicta, puniens in se quod dolet se commisisse.

Pœ

Per peccatum mortale perduntur atq; amittuntur bona opera, nam mortale peccatum nõ solum animam necat, sed & bona opera perire facit, reparantur autem per pœnitentiam.

Pœnitentia rursum uiuificat mortua per peccatum mortale peccata, & rursum facit ea placere Deo, redditq; meritoria.

Pœnitentia in tempore quadragesimali fieri debet, antequam sumatur sacramentum cœnę, quia sic instituit Ecclesia, cui obediendum est.

Pœnitentia similis est negocio iudiciali. Quemadmodum enim quis in iudicium uocatur, sic pœnitens per contritionem uocatur, & suorum peccatorum admonetur, item, quemadmodum quis coram iudicio cogitur confiteri suum peccatum, sic pœnitens in confessione confitetur peccata sua, tandem quemadmodũ reus in iudicio cogitur satisfacere pro suo peccato, sic pœnitens pro suis.

Pœnitentia incipit à timore.

Sacramentum pœnitentiæ consistit in absolutione sacerdotis.

Ex opere operato sacramenti pœnitentiæ circa absolutionem, accipit pœnitens remissionem peccatorum & spiritum sanctum.

Verba saluatoris: agite pœnitentiam, actũ habitui condistinctum important.

Resipiscere & agere pœnitentiã actus interiores sunt, & profluunt ab habitu, siue habitũ uirtutem

cutem dixerimus, siue actum primũ uirtutem ipsam perficientem.

Pœnitere est detestari & odisse peccatum, & est uindicare peccatum à se commissum.

Pœnitere est pœnam inflictam pro peccato suo commisso gratanter acceptare.

Item pœnitere est pœnam sibi pro peccato suo commisso patienter sufferre.

Ad deletionem cuiuslibet peccati mortalis actualis post baptismum commissi requiritur aliqua punitio uoluntaria: ergo ad eius deletionem requiritur pœnitentia.

Pœnitentia est dolor cordis & amaritudo animæ, pro malis quæ quisque commisit.

Peccatum mortale non dimittitur sine actu pœnitentiæ formali uel uirtuali.

Pœnitentia sine confessione non est sacramentum.

Effectus pœnitentiæ sunt, remissio peccatorum, communicatio pœnæ æternæ in temporalem, & ex consequenti collatio uitæ æternæ.

Pœnitentia delet, lauat & mũdat: delet enim superbiam, lauat luxuriam, mundat ab auaritia: uel pœnitentia delet iniquitatem a Deo memoria, lauat sensualitatem à turpitudine concupiscentiæ & materiali habitu, & mũdat cor & conscientiam à macula, item delet a proposito, lauat à locutione, & mundat ab opere.

Duplex est pœnitentiæ effectus, propinquus & remo-

& remotus, propinquus est gratiæ infusio, & peccati remissio, remotus est æterna beatitudo.

Pœnitentia duplex est quædam interior, quædam exterior. Interior est de iure naturali. Exterior fit ad arbitrium hominis. Prior non est sacramentum propriè, posterior est sacramentum.

Pœnitentia per se suscepta non dicitur sacramentum, sed iniuncta à ministris ecclesiæ.

Lugere pro peccatis proprijs est actus pœnitentiæ.

Lugere pro bonis æternis, est actus tertiæ beatitudinis.

Cum in omni sacramento nouæ legis sit aliqua materia uisibilis elementi, quæ sit signum & causa gratiæ, oportet etiam in sacramento pœnitentiæ ita esse. sed tunc materia sensibilis largè accipitur pro omnine siue res illa sit exterior substantia, siue actio humana.

Est pœnitentia quædam sancta & meritoria

Per pœnitentiam soluitur homo à peccatis, idq; ex opere operato.

A reatu peccati liberamur per gratiam, à sequelis autem peccatorum per pœnitentiam, & per partes eius.

Pœnitentia ut est dolor uoluntatis cum electione recta, est uirtus.

Pœni-

Pœnitentia est dolor de peccato præterito, sed uerecundia est timor de peccato futuro.

Detestatio uel displicentia peccati absoluit, & est cuiuslibet uirtutis, sed ut expiabile peccatum, quo ad culpam & reatum, est actus pœnitentiæ uirtutis.

publica Pœnitentia quædam debet esse publica solemnis, propter peccatum publicum, ut sit terror alijs, ut sit exemplum pœnitendi, & ne desperent grauibus peccatis onerati.

Pœnitentia solemnis exit forum occultum, quo ad exequutionem, non quo ad confessionem & iniunctionem.

Pœnitentia solemnis non decet iterari, nec ex iteratione uilescat.

Pœnitentia solennis imponi potest fœminis & uiris laicis, sed non clericis.

Solenniter pœnitens nõ debet ordinari, ordinans aũt debet priuari sua potestate ordinãdi.

Pœnitentia restaurat omnia merita priora, secundum gradum charitatis sequentis.

Reintegritas æqualitatis iustitiæ non solum requiritur in pœnitentia, sed magis reconciliatio amicitiæ.

Pœnitentia principaliter instituta est contra actualem culpam.

Pœnitentia ex opere operato expellit omne peccatum.

Pœnitentia interior non habet efficaciã contra peccatum sine interiore.

Pœ-

Pœnitentia operatur ad peccati uenialis dimissionem, quo ad omnes partes suas.

Homo in primo instanti suæ pœnitentiæ, consequitur remissionem peccatorum.

Merces pœnitentiæ est ex opere operato plenaria peccatorum remissio.

Pœnitentia liberat ab omnibus defectibus culpæ, non autem pœnæ.

Remissio culpę est effectus pœnitentię, principaliter ex ui clauium in ministris, secundario ex ui actus ipsius pœnitentis.

Peccatum mortale potest remitti sine sacramento pœnitentiæ.

Pœnitentia tollit totam culpã, sed non semper totum reatum, id est, debitũ totius pœnę.

Pœnitentia non tollit omnes reliquias peccati actualis, id est, defectus cõsequentes, nisi pœnitentia iam perfecta sit, secundum omnes eius partes.

DE CONTRITIONE, ATtritione & compunctione.

Contritio quę paratur per discessionem, collectionem & detestationem peccatorum, uera & salutaris est, etsi sine motu spiritussancti incipiatur.

Confitens non tam propter uerbum, quàm propter contritionem absoluitur.

Sine sufficiente contritione nemo debet absolui.

Con

Contritio est dolor uoluntariè adsumptus pro peccatis, cum proposito cõfitendi & satisfaciendi.

Attritio non sufficit ad remissionem peccatorum, at contritio sufficit.

Verè theologica disputatio est, an peccatare mittantur propter attritionem uel contritionem.

Attritio est informis & insufficiens contritio ad remissionem peccatorum.

Contritio est perfecta displicentia omnium peccatorum simul in minutissimas partes, quę tum fit uerè, quando de omnibus peccatis, & secundum omnes circumstantias requisitas, pertingimus ad remissionem peccatorum.

Cõtritio secundum essentiam uersatur in corde, & secundum uirtutem externè in confitendo & satisfaciendo.

Distinguendum est inter contritionem primam, quæ debet esse dolor moderatus, & inter contritionem secundam, quę debet esse maximus dolor, sed tamen non nimius.

Contritio etiam secundum gratiam requirit dolorem & meritum.

Contritio pro singulis peccatis fieri debet, pro oblitis uerò sufficit communis contritio.

Contritio quantacunq; parua ex opere operato, omnem culpam & pœnam delet.

Externa operum disciplina, ualet loco contritionis.

Con-

Contritio ratione charitatis delet culpam, ratione doloris delet pœnam.

Contritio non est necessaria confessis.

Contritioni innitendũ est, ut remissionem peccatorum accipias.

Remissio culpæ incerta est, propter incertitudinem contritionis.

Remissio peccatorum super contritionem ædificari debet.

Non sunt sufficientia contritionis signa, si sacerdos sentit peccatorem petere & credere absolutionem.

In contritione non tam exquirendũ est à peccatore, an credat sese absolui, qnãm an dignẽ doleat.

Contritione meremur gratiam.

Per attritionem meremur gratiam.

Ad deletionem peccati, sola detestatio criminis sufficit.

Propter contritionem, non fide in Christũ, consequimur remissionem peccatorum.

Peccatum ita remittitur, quia attritus seu cõtritus elicit actum dilectiõis Dei, propter hunc actũ meretur accipere remissionẽ peccatorũ.

Christianus ultra contritionem cordis habita copia sacerdotis, soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri tenetur, non laico. 1. 27. 112. a

Causæ originales contritionis sunt hę: in se ipsum descendere, meditari magnitudinem &

multitudinem peccatorum, reputare omnes annos uitæ suæ in amaritudine, cogitare de ira Dei super peccatis &c.

Contritio uera incipit à nostra exploratione & diligentia.

In contritione nõ remittuntur peccata, nisi quis habeat propositum confitendi ea: qui nõ habet, etsi ueram contritionem possideat, tamen non accipit remissionem peccatorum.

Falsissimum est in contritione simul tolli culpam cum pœna.

Admissa gratuita iustitia, perit totum negocium contritionum.

Homo ex attritione ui clauium fieri potest contritus.

Naturę legibus consentit, attritum ui sacramenti fieri contritum. Hinc dominus per Prophetam ait: Appropinquate Deo, & appropinquabit uobis.

Fides etiam informis attritum accedere persuadet & cogit, quæ in attriti continetur ratione siue significato.

Contritio sine charitate esse nequit, charitas sine fide, fides autem informis sine charitate existit.

Remissio culpæ innititur contritioni.

Remissio culpę innititur fidei formatę, contritio autem nunquam à fide formata separatur: ergo remissio culpæ innititur contritioni.

Incerta

Incerta est culpæ remissio, propter incertitudinem contritionis.

Vbi sacerdos & peccator incerti sunt de contritione, non est recta absolutio, etsi peccator se absolutum credat.

Fides formata nunquam separatur à contritione.

Rectè faciunt, qui fidunt contritioni, & propter fiduciam in contritionem, sperant se accipere remissionem culpæ.

Sufficiens attritio, semper fit contritio.

Virtute contritionis efficiunt confessio & satisfactio remissionem peccati, quia confessio & satisfactio sunt sacramentum contritionis & remissionis peccati, sic diuersis respectibus contritio est res & sacramentum.

Id quod principalius ac essentialius requiritur ad peccati deletionem, ex parte pœnitentis est contritio, & inter talia requisita, quę plura sunt, puta actus, habitus, passiones & cæt. quorum quodlibet quandoq; dicitur pœnitentia.

Nomine contritionis intelligitur detestatio peccati.

Vel sola contritio sufficit ad remissionem peccati.

Contritio est dolor pro peccato uoluntariè assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi.

Pœnitentia interior principalius accipitur pro contritione.

Dolor in contritione non accipitur pro passione, sed actu.

In contritione sunt tria: gratia, dolor & effectus meriti satisfacientis.

Contritio habet uotum cõfessionis sibi annexum.

Ad contritionem uenialis nõ requiritur propositum non peccandi, sicut de mortali, sed sufficit displicentia eius & suæ causæ.

Peccatum ueniale per solam contritionem remittitur.

Contritio ut pars sacramenti est causa instrumentalis remissionis peccatorum.

Quælibet contritio quantumcunq; parua, omnem culpam delet.

Contritio ratione charitatis delet culpam, ratione doloris delet pœnam.

Attritio est imperfecta displicentia de peccatis.

Attritio non potest fieri contritio, quia est actus transiens.

DE CONFESSIONE coram Deo.

Confessio coram Deo est qualitas & uirtus in nobis.

Confessio

Confessio coram Deo ex opere operato iustificat.

Confessio quæ coram Deo fit, dicitur mentalis, quæ fit soli Deo, & hæc est de iure naturæ. Hæc confessio etiam appellatur confessio fraudis, qua peccator seipsum accusat. Et confessio fraudis accepta est Deo in ore peccatoris, hoc est, eius qui adhuc peccator est, dum tamen non sit peccator in uoto, seu actu interiore, uel exteriore.

DE CONFESSIONE auriculari.

Confitens non tam propter uerbum, quàm propter contritionem absoluitur.

Omnia peccata tam uenialia quàm mortalia confitenda sunt.

Omnia peccata secundum omnes suas circumstantias confitenda sunt.

Possibile est aliquem posse omnia sua peccata confiteri, facta diligenti discussione & collectione.

Peccata in confessione remittuntur, absolutione sacerdotis, etsi non credant, qui absoluuntur.

Confessor diligenter inquirere debet, num absoluendus omnino contritus sit.

Confessio auricularis per se iuris diuini est.

Confitendum est Christiano circa quadragesimam, bis in anno.

Enumeratio peccatorum in confessione requiritur iure diuino.

Ministri ecclesię mandatū Dei habent, de cognoscendis delictis in confessione.

Confessio auricularis pręcipuè ad hoc salutaris & necessaria est, ut pœnitens seu confitens satisfactionem accipiat pro peccatis.

Confessio auricularis ex opere operato iustificat, & confert gratiam.

Magna curiositas decet cōfessores, ut diligenter de omnibus confitentiū delictis, inquirant.

Omnia peccata sub peccato mortali confitenda sunt.

Nullus est auricularis confessionis usus, sine addita satisfactione pro peccatis.

Non solum omnia peccata confitenda sunt, sed etiam secundum omnes circumstantias.

Auricularis confessio ex se est de necessitate salutis, quo ad remissionē culpę, non quo ad remissionem pœnæ, pro qua satisfaciendum est.

Confessio auricularis ex peccato mortali, facit ueniale.

Auricularis cōfessio p se ex opere operato liberat à pœna ęterna, & minuit pœnā temporalē, aut ad minus ęternā in temporalē cōmutat.

Thomas scribit pręcipuum effectum esse auricularis confessionis, liberare à pœna æterna

purga-

& purgatorio, in quo dicit Thomas mitius puniri confitentes, quàm contritos.

Confessus saluus fieri potest, etsi non fuerit contritus.

Confiteri omnia peccata mortalia, non est impossibile.

Confessor non debet absoluere pœnitentem à pœna & culpa, sed à culpa tantum, pro pœna debet imponere satisfactionem.

Reseruatio casuum iuris diuini est.

Circumstantiæ in cõfessione diligenter sunt inquirendæ.

Confessio quotannis fieri debet.

Quia omnia peccata enumerari nõ possunt facilè, tamen diligentia adhibenda est, ut colligantur, & ea quæ possunt, in memoriam redigantur.

Enumeratio peccatorum utilis & necessaria est ad remissionem peccatorum.

Magna quæstio fuit apud scholasticos semper, de proprio sacerdote inter pastores & fratres.

Oportet iudicem prius cognoscere causam, priusq; pronunciet: ergo enumeratio peccatorum in confessione est iure diuino necessaria.

Ministri ecclesiæ mandatum habent de cognoscendis occultis. Solomon ait: Diligenter cognosce uultum pecoris tui: ergo cognoscere occulta peccata, est iuris diuini.

Confitens si recusat suscipere satisfactiones non peccat, sed absoluturus est has pœnas in purgatorio.

Christianus de necessitate salutis tenetur soli sacerdoti, non laico confiteri.

Confessio auricularis ab ipso Christo instituta est.

Inf. 123 a Sub lege naturæ fuit auricularis confessio, item sub lege Mosaica: ergo decuit & sub Euangelio esse.

Sacerdos neminem absoluere potest, nisi prius per confessionem peccatum cognouerit.

1. Christus dedit sacerdotibus absoluendi potestatem: ergo confessio iuris diuini est, & ab ipso Christo instituta, ut res ad absolutionem pertinens, & sine qua non potest absoluere sacerdos.

Inf. 120 a.

2 Iacobi 2. Alter alteri confiteatur peccata sua; ergo confessio auricularis iuris diuini est.

3 Actor. 19. Multi ueniebant, & confitebantur peccata sua: ergo confessio auricularis iuris diuini est.

4 Prouerb. 28. Qui abscondit peccata sua &c. Ergo &c.

5 Ecclesi. 4. Ne pudeat te confiteri peccata tua &c. Ergo &c.

6 Psal. 31. Confitebor aduersum me iniustitiam meam &c. Ergo &c.

Non

Non obligamur ad confessionem uenialiū peccatorum, quanquam illa confiteri salutare est.

Homo tenetur ex mandato Dei omnia peccata mortalia confiteri.

Diligentia in inquirendis peccátis ante confessionem, magna adhibenda est, sed nō nimia.

Confitens non obligatur ad confessionem oblitorum & occultorū peccatorum, modo in fine cōfessionis dicat: Ego quoq; accuso me propter omnia peccata oblita & occulta.

Humiliatio & pudor in cōfessione, tollit partem pœnarum pro peccatis, sicut & pœnitentia facit. Tamen pudor non debet esse nimius, ne quid taceatur in confessione.

Integra debet esse confessio, ne confitens scienter quædam peccata taceat. De hac integritate confessionis, loquitur Hieremias Tren. 2. Effunde cor tuum, sicut aquam.

In omnibus rebus diligenter expendendæ sunt omnes circumstantiæ: ergo & circa cōfessionem omnium peccatorum circumstātiæ diligenter examinandæ sunt.

Circumstantiæ quæ minuunt & extenuant peccata, non sunt confitendæ, sed illę tantum, quę peccata exaggerant, exempli gratia: Confiteatur aliquis se in quadragesimali ieiunio comedisse carnem, addendo circumstantiam ex conditione, quia infirmus fuit.

Circumstantiæ, quæ grauant peccata & exaggerant, hæ sunt: Ordo, nam maius peccatū est peccare cum clerico, quàm cum laico. Tempus, nam quanto tempus sanctius est, tanto maius est peccatum. Locus, nam quanto locus sanctior est, tanto maius est peccatum. Numerus, quantitas damni ex peccato iniuncti proximo status seu cōditio personæ, procrastinatio peccati ex malitia, propria ad peccandum prouocatio, perseuerantia longa in peccato &c.

Proprietates confessionis sunt, ut fiat premeditatè, humiliter, integre, festinanter, apertè, cum enumeratione omnium peccatorum, simul & circumstantiarum, propriè, & occultè &c.

Potest quidem fieri, ut quis casu inter confitendum alterius confitentis audiat peccata, qui autem ea audit, obligatur sub peccato mortali tacere.

Qui confitetur personæ, quæ non habet potestatem absoluendi, ille cogitur denuo confiteri personæ, quæ habet.

Qui in alia parrochia, quàm in sua cōfitetur, sine cōsensu sui plebani, cogitur denuo suo plebano confiteri. Vt enim sententia nulla est, quę à suo iudice non profertur, ita & absolutio sacerdotis nulla est in hominē, in quē nullam habet potestatē. Siquidem nō sufficit potestas ordinis, sed requiritur etiam potestas iurisdictionis.

Fictus

Fictus in confessione, non est capax absolutionis, quare denuo confiteri cogitur. Infra 122. a

Quando quis scienter tacet unum peccatum, tunc nullius peccati remissionem accipit.

Suspensus ab officio, non potest absoluere:

Qui scienter confitetur indocto & inepto sacerdoti, qui non nouit discernere inter peccatum & peccatum, is cogitur denuo sua peccata docto & apto confiteri.

Cõfitentem potest absoluere cõfessor ab omnibus peccatis, exceptis casibus reseruatis, qui spectant ad superiores, à quibus si uult liberari confitens, superioribus confiteri debet.

Cõfessio spectans ad personã digniorem, inutilis est, quando fit coram indigniori.

Ex his causis quis denuo sponte confiteri debet sua peccata semel cõfessa. Quando confessus de absolutione dubitat, id quod tamen laudabile non est, quando confessus dubitat, an cõfessus sit hoc uel illud peccatum, an confessor satis intellexerit quantitatem peccati, quando putat, confessorem non audiuisse peccatum, non seriò animaduertisse in peccatum, quando dubitat, an confessor scientiam habuerit discernere inter peccata, & instituere confessum rectè: quando dubitat de potestate sacerdotis in absoluendo &c. In his casibus laudabiliter agit confessus, quando denuo spontanea uoluntate confitetur nouo confessori.

Lau-

Laudabiliter & ille agit, qui spõtanea uoluntate denuo cõfitetur idem peccatũ nouo confessori, ut suam diligentiam deo commendet, & amplius aliquid corã deo mereatur. Et quanquam secundaria hęc confessio non est necessaria, tamen utilis, laudabilis, & salutaris est.

In secundaria confessione, quanquam secundaria absolutio non tollat pœnam peccati, tamen propter tria utilis est: Primum meritoria est ad remissionem & extenuationem pœnę, secundo meritoria est maioris gratiæ dei, tertio per se laudabile opus humiliationis est, quare etiam gratum Deo.

Qui impositam pœnitentiam neglexit, obligatur, ut suam negligentiam confiteatur, & oret sacerdotem, quo illum semel imposita pœnitentia donet, uel ut impositam in aliam transmutet.

Porrò qui impositæ pœnitentię oblitus est, modo non fuerit à superioribus reseruata, ille obligatur ad confessionem suę negligentiæ, & orare debet pro noua pœnitentia imponenda.

Vbi timendum est damnum ex confessione alicuius peccati, potest confitens illud tacere, donec ad uirum continentem secreta, perueniat, & timor periculi cesset.

Item potest quis rectè tacere, nec confiteri aliquod peccatum, ubi hoc non potest confiteri sine proditione personæ, cum qua peccauit, & po-

potest tam diu producere peccatum, donec ueniat ad sacerdotem, coram quo non est timenda personæ notitia.

Mutus quoq; obligatur ad confessionem, ut gestibus significet, quod loqui non potest.

Potest etiam quis in longinquis regionibus, confiteri sacerdoti, qui idioma linguæ non intelligat.

Laico in necessitate quis confiteri potest, & si laicus ne queat confessum absoluere.

Et apostoli confessione auriculari usi sunt.

Ex dispēsatione fieri potest, ut quis nō opus habeat confiteri.

Sunt qui putant non esse confitendum sacerdoti qui est in peccato originali.

Bonum opus in confessione impositum à sacerdote, magis satisfacit pro peccatis, quàm bonum opus, quod quis sua sponte facit.

Confessus & si moriatur in peccato mortali, tamen minus in inferno adfligitur propter peccatum.

Confessio sacramentalis non rectè tribuitur Innocentio tertio, ut inuentori, sed potius iuri diuino.

Peccatum non remittitur, nisi confessum coram sacerdote.

Non est impossibile, hominem omnia mortalia peccata confiteri posse.

Homo iure diuino tenetur ad confessionem omnium peccatorum.

Cir

Circa confessionem omnia preparatioradi-
ligenter curanda sunt.

Decet sacerdotem in altari celebrantem, u-
bi recordatus fuerit alicuius peccati, accersere
sacerdotem, & illud confiteri.

Licet fidere in suam confessionem & diligen
tiam.

In peccatis etiam occultis casus reseruari po
test.

Falsum est, pontifices non instituisse reserua
tionem casuum in occultis peccatis.

Confessio auricularis sola meretur dici con-
fessio sacramentalis, ita dicitur cõfessio uoca-
lis, quę fit sacerdoti, & nõ est de iure naturæ si-
cut est cõfessio mentalis, quę fit coram Deo.

Confessio uocalis necessaria est ad salutem,
postquam homo actualiter peccauit.

Confessio est latentis peccati manifestatio.

Confessio est, per quã morbus latens spe ue-
niæ aperitur.

Cõfessio sacramentalis est secreta delinquen
tis accusatio suorum cõmissorum peccatorum
corã sacerdote, iurisdictionem in eũ habente,
spe ueniæ consequendæ. Et dicitur confessio sa
cramentalis, quia illa definitio nõ datur de con
fessione cordis, quæ fit corã Deo in cubiculo
cordis, nec de illa, quæ fit in iudicio contentio
so, sed de illa, quę fit in foro animę secreto.

Non sufficit peccata dare regenda, sed ipso
ore

ore coram sacerdote confitenda sunt.

Potest etiam quis per interpretem confiteri, si non habuerit sacerdotem noscentem linguam suam.

Cõfessio quãdo nõ fit corã illo, q habet in cõfitentem iurisdictionem, non est sacramẽtalis.

Causa finalis cõfessionis est remissio peccati.

Confessio auricularis nõ potest fieri laico in necessitate, quoniã is absoluere non potest, & sine absolutione confessio auricularis, non est sacramentum pœnitentiæ, igitur in nullo casu tenetur quis confiteri laico, nec uenialia, nec mortalia. Potest tamen confessio large sumpta, fieri laico in secreto, propter uerecundiam, quæ est una pœna debita peccato, & magna pars satisfactionis, similiter quoque propter consilium obtinendum. Item, propter humilitatem, in signum quod facit, quod in se est, paratus confiteri sacerdoti, si eius copiam haberet.

Confessio sacramentalis est de lege diuina à Christo instituta, uiuificandis peccatoribus præcepta.

Cõfessio sacramentalis est de iure diuino, expressa in Euãgelio. Nam Ioan. 20. ait Christus: Quorumcunq; remiseritis peccata &c. Quibus uerbis dedit Christus apostolis potestatẽ iudicãdi ac remittendi peccata, quibus datur potestas iudicãdi, illis datur etiã potestas cognoscẽdi. Co-

Cognitio autem peccatum remittendi fieri non potest, nisi per accusationem peccatorum quæ est confessio.

Pater dedit omne iudicium filio, ergo confessio sacramentalis est iuris diuini, unde quando erat Deus tantum, soli Deo confiteri sufficiebat, postquam autem factus est homo, & pro peccatis nostris mortuus, datum est sibi omne iudicium de peccatis, & sibi est confessio facienda, qui loco suo uicarium reliquit, cui etiam est facienda. Et ex hoc habetur, quòd ~~papa, quisub est iuri diuino, non potest dispensare cum aliquo~~, ut non teneatur confiteri in mortis periculo, & in cæteris casibus ad ius diuinum spectantibus.

Tempus confessionis determinatum est tempus paschale, & modus est de iure ~~positiuo, supra quod est papa~~, nec eo ligatur, quo ad se, neque quo ad alios, & quantum ad illud potest dispensare. Ex quo patet, quòd papa tenetur confiteri, licet forte non secundum formam.

C. Omnis utriusq; &c.

~~Deber~~ autem quisq; in confessione tantã diligentiam apponere, quantum apponeret ad inquirendum aliquid multum arduum, quod sibi multum esset cordi.

Confessio quandoq; fit in actu, unde colligũtur quatuor casus, in quibus tenetur peccato mortali obnoxius confiteri in actu. Primus est, cum

cum imminet iudicium damnationis, uel misericordiæ, ut est in articulo mortis, aut ubi periculum mortis timendum est &c. Secundus casus, quãdo uult exercere actus aliquos, quibus debetur reuerentia specialis, ut aliquando uult communicare: tunc enim secundũ omnes doctores nõ sufficit sola contritio, ad dignẽ cõmunicandum, sed requiritur sacramentalis cõfessio. Tertius actus est, ut quis susceptur us alia sacramenta, premittat cõfessionem. Quartus casus est, ut ex statuto Ecclesiæ circa ferias paschatis, quis susceptur us eucharistiam, confiteatur. Quintus additur ratione conscientiæ, uel scrupuli. Additur etiã casus, dum quis ex statuto sui ordinis uel uoto sua sponte emisso, tenetur certo tempore ad cõfitendum, quod uerum est dum modo statutum ordinis habet uim præcepti.

Confessionis qualitas hæc esse debet: Simplex debet esse, ita quõd nihil admisceatur cum eis, quæ requiruntur ad peccatorum quantitatem. Debet etiã esse humilis, ualde enim humiliter debet se habere confitens in uerbo & signo. Debet esse pura, id est, cum recta intentione facta, & fidelis, id est, uera, ut nihil admisceat de falsitate. Debet esse frequens, frequenter enim facta est utilis.

Nuda debet esse, id est, non obuoluta obscuritate uerborum.

Discreta, id est, quod maius est, confiteatur cum maiore pondere.

Libens, id est, facta non de necessitate, sed libera uoluntate.

Verecunda, ut confitens uerecundetur de peccatis, quæ confitetur, quia quidam inueniuntur, qui in recitãdo sua peccata, uidentur se iactare de aliqua uanitate seculari.

Integra, id est, facta sine celatiõe alicuius peccati, quòd cõfitens tunc habeat in memoria, de quo aliàs non fuit legitimè confessus.

Secreta, quia ibi agitur de secretis cõscientię.

Lachrymabilis, lachrymis procedentibus ex peccati dolore,

Accelarata, multum enim expediens est peccatori ut citò cõfiteatur, quia abyssus abyssum inuocat, id est, unũ peccatum ad aliud inclinat.

Fortis, id est, pœnitens debet ita esse cõstantis animi in cõfitendo, ut propter uerecũdiam nihil pertinẽs ad suę cõscientię purgationem omittat. Accusans, id est, pœnitens ita debet accusare seipsum, ut in sui excusatione peccatũ suũ in alium non torqueat. Debet etiam esse parata parere, pœnitens enim debet esse paratus parere, hoc est, obedire sacerdoti, in susceptione, & expletione pœnitentiæ, quam rationabiliter iniungit. Ex his conditionibus quędã sunt de necessitate, quædam de congruitate confessionis sacramentalis.

Ne-

Neq; fidus, neque qui non sufficienter discussit conscientiam suam, cõsequitur effectum sacramentalis confessionis.

Conscientia dubitans an peccatũ sit mortale, tamen tenetur illud confiteri.

Quatuor sunt casus communes, in quibus cõfessio iteranda est. Primus est propter enormitatem sceleris, ob quam oportet peccatorẽ ad superiorem remitti, qui cõfessionẽ remissi audire debet, & absoluere, nisi malit alteri committere. Secundus est propter ignorantiã sacerdotis, utpote quando sacerdos ignarus est, quẹrendus enim est tũc sacerdos, qui ligare & soluere queat, & ei iterũ est cõfitendum, uel ex licentia sacerdotis proprij, uel autoritate superioris. Tertius casus propter malitiam fictionis, ut si sciẽter aliquod peccatum in corde retinuit, uel si accessit cum uoluntate peccandi. Quartus est propter contemptũ satisfactionis, ut quando negligit & contemnit facere pœnitentiam, sibi iniunctam.

Remittit generalis confessio uenialia, quantum ad culpã, & quantũ ad pœnẹ diminutionẽ. Remittit etiam mortalia oblita, quantũ ad pœnam, cum prius remissa sunt, quo ad culpã per sacramentalem confessionem.

Cõfessor tenetur celare cõfessa, de lege naturẹ, de legẽ positiua, & de lege positiua Ecclesiẹ. Item confitens, tenetur celare acta & dicta sacerdotis.

Sigillum confessionis est de lege naturæ, secundum alios de iure diuino. Cadit autem sub sigillo confessionis, quicquid confitens uult, aut uelle debet, tanquam secretum celari.

Quæ confessor nouit in confessione, non nouit ut homo, sed ut deus.

Heresis nõ est celanda, iuxta uulgarẽ uersiculum: Est heresis crimẽ, quod nec cõfessio celat.

Circũstantię confitendę, quę grauant peccata, his uersibus continentur:

Aggrauat ordo, locus, mora, causa, scientia tempus.

Lucta pusilla, modus culpę, et status altus,
Conditio, numerus, ætas, & scandala, sexus.

Confessio sacramentalis est actus uirtutis elicitus à pœnitentia.

Confessio ut medicina est pars sacramenti pœnitentiæ.

Contritio aliàs ferè semper pręcedit confessionem, sæpe tamen sequitur.

Confessio præsupponit actualem cõtritionem, delentem culpam, ideo directè ordinatur ad dimissionem pœnæ.

Confessio peccatorum, licet etiam è timore causatur, tamen potius ex spe.

Figura

Confessio fuit præfigurata in baptismo beati Ioannis Baptistæ: Item, in resuscitatione Lazari.

Confessio facienda sacerdoti à Christo instituta

tuta fuit, quando dedit Apostolis potestatem remittendi peccata.

Confessio auricularis, quæ fit sacerdoti, non est de iure naturali.

Confessio sacramentalis est de necessitate salutis nostræ, quo ad remissionem culpæ, non autem quo ad remissionem pœnæ huius temporalis.

Etiam illi, cui dimissa est tota pœna per contritionem, necessaria est satisfactio & confessio, quia utraq; est in præcepto.

Confessio est necessaria ei, qui cõmisit mortale peccatum.

Omnes sub peccato mortali uiuentes, tenentur confiteri, ex statuto Ecclesiæ, id est, ex ui sacramenti.

Papa potest dispensare, quód differatur confessio, non autem prorsus dimittatur.

Nullus tenetur confiteri de peccato originali &c.

Nullus hominum tenetur confiteri de peccatis uenialibus, sed laudabile tamen est, & ea confiteri.

Quilibet tenetur confiteri de peccato mortali, cum proposito non peccandi. & tenetur confiteri peccatum suum, quod dubitat esse mortale, & causas uel occasiones sufficientes peccati mortalis, siue circumstantias aggrauantes in infinitum &c.

Quilibet tenetur confiteri omnia peccata, item numerum omniũ suorum peccatorum.

Circumstantiæ particulares peccati carnalis confitendæ sunt omnes.

Homo non confitetur sufficienter peccatum suũ, nisi speciem cõfiteatur peccati, quę cognosci non potest, nisi per circũstantias trahentes in aliud genus peccati, ex quibus peccatum specificatur.

Reiteratio confessionis eiusdem peccati est de consilio.

Confessio ficta, id est, sine contritione, nõ est necessariò iteranda.

Confessio potest quidem esse informis, quo ad sacramentum, sed non quo ad fructum meriti &c.

Confessio aperit paradisum, & dat speciem salutis.

Confessio dupliciter liberat à pœna æterna, dimittit pœnam temporalem, scilicet ui clauium, & ui pœnosa.

Confessio facit de mortali ueniale, non mutando culpam in uenialem, sed dando ueniam.

Confessio generalis quę fit in Missa, Prima, et Completorio, delet peccata uenialia & etiam mortalia oblita.

Confessio auricularis potest quidem fieri laico in necessitate, sed ea cessante oportet iterũ confiteri sacerdoti.

Con-

Confessio proprio sacerdoti fieri debet, alteri cum licentia.

In quinq; casibus licet alij quam proprio sacerdoti confiteri, & sine licentia eius, quando uagus est, mutans domicilium, peccans in alia parrochia, si proprius sacerdos reuelat confessionem, uel sollicitat ad peccatum, & in extrema necessitate.

A iure cōcessum est prælatis, quod possunt sibi eligere confessores.

Electio discreti confessoris non est nobis cōmissa, nisi ex licentia superioris.

Quilibet sacerdos potest quemlibet absoluere sine inflictione pœnæ.

Confessor debet interrogare confitentes, nō de quolibet peccato, sed secundum conditiones singulorum.

Sigillum cōfessionis est de iure diuino, & de essentia sacramenti.

DE SATISFACtione.

Scholastica satisfactio pro peccatis iuris diuini est.

Prior ad Corinthios cap. 11. Si nos ipsos iudicaremus, nō iudicaremur à domino, ergo nostrę pœnę tollunt pœnas, quas minatur Deus.

Nam sic interpretantur Apostoli dictum: Nostræ pœnæ fiunt: ergo pœnæ Dei per illas tolluntur, sequitur itaq; esse satisfactionem nostram pro peccatis.

Peccata merentur pœnas, nullum igitur remittitur peccatum, nisi aliquæ pœnæ soluantur, unde probatur satisfactio.

Pœnitentia habet rationem pœnæ & compensationis, ideo multis pœnis per satisfactionem cumulanda est.

Pœna seu uindicta necessaria est ad pœnitentiam, quia Augustinus dixit, pœnitentiam esse uindictam punientem, unde adhuc sequitur, esse satisfactionem pro peccatis.

Satisfactio duplex est; altera pro uenialibus peccatis, altera pro mortalibus.

Satisfactio est, quæ constat non debitis operibus, sed supererogatiuis, quibus redimuntur pœnæ purgatorij, aut certé aliæ pœnę temporales.

Pœnę purgatorij partim potestate clauium, partim satisfactione remittuntur.

Satisfactio ex opere operato tollit culpam, & confert remissionem peccatorum.

Laudabiliter inquit Thomas, agit cõfessor, quando dicit ad confessum: Quicquid boni feceris, sit tibi in remissionem peccatorum.

Satisfactio est pretiũ seu cõpensatio pro peccatis & pœnis.

Satisfa-

Satisfactio tamen ualet, etsi fiat in peccato mortali.

Satisfactio Christi generalis ualet pro tota humana natura, uerum quenque per se oportet satisfacere pro suis peccatis.

Oportet supererogatiua opera esse, quæ debent satisfacere pro peccatis, non debita.

Deus remittit culpam, sed non pœnã, quam commutat in aliquam pœnam temporalem satisfactoriam, per Canones & sacerdotis iniunctionem, in parte uel toto declaratam.

Erroneum est, Deum à morituro non requirere aliam, quàm mortis pœnam, imò requirit aliam, pro qua satisfaciendum est.

Sine satisfactione nemo saluatur.

Præter satisfactionem Christi, requiritur & nostra satisfactio pro peccatis.

Sanctæ sunt leges, quibus docemur de satisfactionibus pro peccatis per opera nostra.

Canonicæ satisfactiones sunt necessariæ ad redimendas pœnas æternas, aut pœnas purgatorij.

Opera supererogatiua, quibus satisfacimus pro peccatis, hæc & similia sunt: peregrinationes ad sanctorum sepulturas & reliquias, rosaria &c.

Sicut satisfactionibus purgatorium redimitur, ita satisfactiones pecunia redimendæ sunt.

Satisfactionũ remissiones sunt indulgentiæ.

Sacrificio Missæ redimuntur satisfactiones mortuorum.

Canonicæ satisfactiones necessariæ sunt ad pœnam purgatorij redimendam, aut prosunt tanquam compensatio ad tollendam culpam.

In remissione peccati deus remittit culpam Et tamen quia conuenit iustitiæ diuinæ punire peccatum, mutat pœnam æternam in pœnam temporalem, uerum pars illius temporalis pœnæ remittitur potestate, reliquum autem redimitur per satisfactiones.

Satisfactiones ualent, etiam si fiant ab his, qui lapsi sunt in peccatum mortale.

Satisfactiones non tantum ualent ad disciplinam, sed etiam ad placandum Deum.

Pœnæ ęternæ compensantur satisfactionibus nostris.

Satisfactiones redimunt pœnas purgatorij.

Pœnæ æternæ non remittuntur, nisi propter pœnam purgatorij, aut satisfactiones Canonicas, hoc est, propter certa quædam opera non debita.

Deus condescendens nostrę infirmitati, constituit homini mensuram eorum, ad quæ de necessitate continetur, quæ est obseruatio præceptorum, ut de reliquo, id est, de ōperibus superrogatiuis possit satisfacere de commissis.

Scotus

Scotus dixit pœnitentiam dici, quasi pœnæ tenentiam: ergo pœna est præcium pro peccatis: ergo pro pœna satisfaciendum est.

Nostrę pœnę & satisfactiones sunt pręcium pro peccatis.

Iustitiæ Dei conuenit punire peccata: ergo nostræ satisfactiones merentur remissionem peccatorum.

Finis satisfactionum nostrarum est remissio peccatorum.

Communes calamitates præsentis uitæ propriè per opera satisfactionum Canonicarum, hoc est, per opera traditionum humanarum, id est, per opera supererogatiua, ex opere operato, uel etiam si fiant in peccato mortali, tolluntur.

Satisfactiones nostræ pro pœnis, in Euangelio fundatæ sunt.

Satisfactio hodie non est imponenda secundum seueritatem Canonum, ut olim, nec secundum respondentiam ad magnitudinem peccatorum, ideo nec præsens, nec pręterita ęquiualens.

Satisfactio multũ temporalis pœnæ aufert.

Satisfactio est compensatio, quæ sponte fit, ex operibus non debitis, pro peccatis & pœnis.

Sic potest homo satisfacere pro peccatis, etiã quando adstantẽ habet gratiam Dei & meritũ Christi,

Christi, item diuinam bonitatem & liberalitatem, quæ proposuit nobis pro peccatis satisfaciendi modum, non quōd nostra opera per se ita efficacia & digna sunt, sed quia sola opera satisfactionis loco pro peccatis acceptat. Vnde doctorū sententia: Satisfactor reddat Deo equiualens, non per essentiam, sed per diuinam acceptationem. Hinc Apostolus ait, ad Ro. 8. Nam reputo, non esse pares adflictiones præsentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga uos. Quæ sententia uerissima est, quia adflictiones per se à longè non acceduntad gloriam, nec dignæ sunt gloria, uerum fiunt dignæ ex uoluntate Dei & merito Christi.

Christus dixit Mathæi 4. Agite pœnitentiam: ergo non satis est accedere pœnitentiam, aut cogitare, sed operari per opera, id quod fit per satisfactionem.

Rectè sentiunt Catholici, quando sic sentiunt: Etsi culpa remissa est, tamen requiritur adhuc satisfactio pro temporali pœna.

Deus remittit quidem peccatum, sed non sinit impunitum, aut igitur pœnitens in seipso punit peccatum, aut Deus punit in pœnitente eum puniendo.

Niniuitæ in sua pœnitentia simul induerunt saccos, ieiunauerunt &c. & Deus respexit ad opera eorum; ergo est satisfactio pœnalis.

Achab 3. Regum 21. ieiunauit, dormiuit in

sacco

sacco &c. Ergo &c. Idem fecit Manasses 2. Par. 25. Ergo &c. Similia exempla multa extant in libris Iudicum, Iudith, & Machabæorum &c. Ergo &c.

Item Paulus ait, 1. ad Corinth. 11. Si ipsi corriperemus nos, non corriperemur ā Domino: ergo est satisfactio pro pœna, qua si ipsi nos afficimus, præuenimus pœnam Dei.

Dicere pœnam cum culpa simul auferri, est reluctari spiritui sancto.

Falsissimum est in cōtritione simul tolli pœnam cum culpa.

Satisfactio ab Apostolorum temporibus usq; ad nos deuenit.

Si pœna unā cum culpa tolleretur, tunc nihil remaneret orationibus tollendum post pœnitentiam.

Vna lachruma ualde efficax est pro peccatis.

Christi satisfactio sufficiēs est pro omnibus, sed non æquè efficaciter ac potenter in omnibus operatur sed in illis tantum, qui faciunt se satisfactionis Christi per bona opera participes. Vnde rotundè dicunt Doctores: Passio Christi omnes redemit sufficienter, sed non omnes efficaciter, obstaculum est inde, quia uolunt se facere participes huius meriti.

Homo uarijs modis fit particeps meriti seu satisfactionis Christi, sæpe ex mera præueniente

ente gratia, sicut S. Paulus, & sanctificati in utero matris suæ.

Secundo fimus participes meriti & satisfactionis Christi per sacramenta, quę suam uirtutem & efficaciam habent per passionem atque mortem Christi. Tertio fimus participes meriti seu satisfactionis Christi per bona opera, non quōd hæc per se aliquid sint, aut meritoria, sed quōd per gratiam dei aliquid sint & meritoria.

Bona opera etiam adstante gratia, non possunt per se satisfacere pro peccatis, quia peccata ~~habent annexam æternam~~ pœnam, quam non potest purus homo tollere, unde nunc prodit usus satisfactionis seu meriti Christi, qui est æternam pœnam in temporalem mutare, & satisfacere pro peccatis. Huius gratia & pręsidio nos quoq; possumus satisfacere pro peccatis.

Iuxta prædictum modum Christus satisfecit pro peccatis nostris, at quoq; nos satisfacere oportet, ne nihil faciamus, operando in uinea domini, ut lucremur cum talento nostro.

Non sequitur. Christus pro nobis satisfecit: ergo nobis non est satisfaciendum.

Satisfactio etiam in peccato mortali præstanda est, nec omittenda.

Satisfactio acceptatur à Deo, non simpliciter, sed ut satisfactio pro peccatis, quia ~~Deus~~ procli-

procliuior est ad misericordiã, quàm ad damnationem.

Homo confessus, cui imposita est satisfactio, etsi in peccato mortali moriatur, & condemnetur, tamen non in perpetuum adficitur pœna pro peccato, à quo est absolutus.

In inferno minus adfligitur, qui confessus est, & accepit satisfactionem.

Bonum opus satisfactoriè impositum, & in diuina gratia præstitum, meritorium est remissionis peccatorum.

Duplex commodum satisfactionis est. Alterum quia satisfactione satisfacit pro pœna peccati, alterum quia satisfactione quis meretur gradum æternæ gloriæ atq; salutis.

Quemadmodum in Christo opera fuerunt meritoria, postea & satisfactoria pro peccatis, ita & opera in nobis meritoria sunt, & pro peccatis satisfactoria.

Vnus pro altero satisfacere potest. Sic filius pro patre satisfacere potest &c.

Potest aliquis in uno opere sibi mereri præmium æternæ salutis, & nihilominus pro alio satisfacere, sine incommodo proprij meriti. Sic opera Christi & sibi & nobis fuerunt meritoria, & simul illis operibus pro peccatis satisfecit.

Moses

Moses & pro se & pro alijs orauit; ergo quis sibi aliquo opere mereri potest æternam salutem, & pro alijs satisfacere.

Sicut nihil incommodi quis accipit, quando pro mortuis orat, nam meritum illius ea non diminuitur, sic nec quicquam damni accedit satisfacienti pro alio.

a. Deus nullum peccatum sinit esse impunitũ; ergo satisfaciendo in nobis punienda sunt peccata, ne Deus puniat.

Satisfactio quam claues possunt tollere, est iuris diuini, nec morandum est argumentum. Si satisfactio iuris diuini est; ergo non potest tolli per claues.

Iob inquit: Vtinam appenderentur peccata, quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret. Iob igitur satisfecit pro peccatis suis ultra condignum, & opera sua in quantũ satisfactoria excedebant pœnam peccatis suis debitam.

2. Satisfactio sanctorum plerumq; superabundat, Iob 5. Vtinam appenderentur peccata mea &c.

3. Satisfactio superabundans, prodest egentibus ex intentione sanctorum operantium. Secundo Machab. 12. Sancta ergo & salubris cogitatio pro defunctis, exoptare, ut à peccatis soluantur. Ad Collos. 1. Ego Paulus minister, qui

qui nunc gaudio in passionibus pro uobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia. Posteriore ad Timoth. 2. Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur.

Opera Christi maximè sunt meritoria, simul & satisfactoria, & ut nunc opera Christi, ita & opera nostra.

Satisfactio Christi superabundat mirum in modum, ita & satisfactio nostra.

Opus satisfactoriũ est opus seu actus uoluntatis, elicitus uel imperatus, ideo flagella, unde cunq; inferantur ab intrinseco, non sunt satisfactoria, sed ~~uoluntaria sufferentia eorum pro remissione peccati satisfactoria est, quia illa est a uoluntate tanquam ab actiuo principio.~~

Opus ~~supererogatiõis~~ dicitur opus consilij, uel quod fit ultra id, ad quod quis debet, & opus supererogationis includit meritum, quare Deus non potest propriè facere merita supererogatiua, quia Deus non potest mereri.

Sacerdotem dicere horas canonicas, non est opus supererogationis, item ieiunare per quadragesimam non est opus supererogationis.

Peccat mortaliter qui contemnit aut negligit satisfactionẽ, quam sponte acceptauit, sine causa sufficienter excusante, quia non reddit debitum ad quod se uoluntarie obligauit, unde si confessor aliquid irrationabiliter iniungeret,

uel quod confitens implere cõmodè non posset, potest humiliter non acceptare.

Licet secundũ strictam iustitiã deus iustè exigere posset omne quod sumus & possumus tã quam ~~debitũ necessitatis~~, tamẽ ex libertate sua nostrę infirmitati cõdescendens homini cõstituit mensurã eorũ ad quæ de necessitate teneretur, quę est obseruãtia pręceptorũ, ut de reliquo, id est, de operibus supererogationis possit satisfacere de commisso, quę opera etsi debeamus ~~debito congruitatis~~, non uult tamen, ut sibi debeantur ~~debito necessitatis~~, nisi ratione uoti uel satisfactionis iniunctæ pro peccatis.

1. Satisfactio pro peccato regulariter consistit magis in actibus pœnalibus uel passionibus uoluntarijs, quàm in alijs actibus pœnalibus, quoniam culpa ordinatur per pœnam debitã, & ideo secundum diuinam iustitiam culpæ debetur pœna, & ita reddendo pœnam debitam satisfacit pro peccato. Et dicitur regulariter, quia potest quis quandoq; per actum bonum, non pœnalem satisfacere pro peccato: Potest enim Deus actum intensum charitatis acceptare pro punitione debita uni culpæ, iuxta illud Petri: Charitas operit multitudinem peccatorum. Verum licet actus ille charitatis non sit propriè punitio, est tamen maius bonum & magis reddens Deo honorem, quàm propriè illius punitio.

Satisfa-

Satisfactio secundo modo accipitur strictè, ut distinguitur contra alias partes pœnitentiæ, & definitur in hunc modum: Satisfactio est operatio exterior laboriosa seu pœnalis, uoluntariè assumpta ad puniendum peccatum à se cõmissum, & ad placandum diuinam offensam, uel est passio aut pœna uoluntarie tolerata in ordine ad peccati remissionem.

Dicitur operatio exterior, per quod excluditur actio laboriosa interior & passio eam comitans, ut est contritio & tristitia eam consequens. Et intelligitur per actum exteriorem, actus qui fit corporalibus membris (positiue uel priuatiue) inferentibus pœnam corpori & fatigationem, & dicitur positiue, ut peregrinati, o corporis disciplinatio, eleemosynarum distributio. Dicitur priuatiue propter ieiunium & abstinentiam, ubi nihil agitur, sed ab actione cessatur, & per hoc etiam excluditur confessio, quia licet fiat organo corporali, tamen breuis est, & non fatigat. Oratio uerò quia perseuerantem oportet esse, laboriosa est & attenuat uires corporales, & ideo includitur in satisfactione stricta accepta. Et satisfactio principaliter fit Deo, quia Deus iniuriatur per culpam. Et consistit satisfactio hoc modo capiendo, in his tribus: ieiunio, oratione, & eleemosyna, & passionibus uoluntarijs comitantibus ista tria opera difficilia.

Ad ieiunium reducuntur omnia corporis maceratiua ordinata ad reprimendum carnis rebellionem, ut sunt uigiliæ, peregrinationes, uestium asperitates & nuditates, corporis flagellationes, & generaliter quæcunq; corporis afflictiones. Ad orationem reducitur quicquid pertinet ad partem contemplatiuam, & meditationes, scripturarum lectiones, prædicationes ac uerbi auditiones, studium theologicũ, disputationes, errantiũ impugnationes in moribus & in fide, & cętera quę immediate uersantur circa Deum tanq; obiectum. Ad eleemosinam reducuntu opera misericordiæ corporalia pro Christo propter Deum impensa, & quę cunq; erogationes bonorum temporalium in pias causas, ac subleuationes miseriæ corporalis fratrum.

Congruum est, ut per quæ quis peccauerit, per hæc & torqueatur, sic qui in carne peccauerit, etiam in carne puniatur.

Congruentior est illa satisfactio, per quam non solum abolentur pręterita peccata, sed etiam adhibetur remedium à futuris cauendis & reprimendis.

Boni confessoris est congruas satisfactiones pronitentibus iniũgere, attentis diligẽter omnibus circũstantiis cõfitentium, requiritur itaq; discretio sacerdotis, ut non imponat alicubi satisfactionem nimis disconuenientem, sed eam

quæ

quę sibi magis cõgruit, & quã forte melius implebit, ut puta pauper, nec eleemosynas potest dare, nec orare, quẽ oportet cõtinuo laborare pro uictu suo necessario, nec ieiunare, quia tũc non sufficeret ad laborẽ necessarium pro uictu cõtinuo sibi necessario, labor enim cõtinuus est sibi ieiuniũ, quia cõtinua maceratio carnis, tantummodo inducendus est, ut illum laborẽ subeat in remissionẽ peccatorũ, saltem quousq; sibi occurrat oportunitas soluẽdi aliquã satisfactionem. Similiter de diuite, si ieiunare nõ uellet, inducendus est ad orationes & eleemosynas, & imponendum illud, quod libentius recipit, & quod creditur perseuerantius implere, uel si omnino nullam satisfactionem uelit recipere, à sacerdote sibi impositam, dicat tamen se habere displicentiam de peccato commisso, & firmum propositum non recidiuandi, absoluendus est, & non remittendus, ne cadat in desperationem. Et denuncianda est sibi pœna, quæ esset pro peccatis suis facienda, & quod eam in se, uel æquiualente absque impositione studeat adimplere, alioqui soluat ad plenum in purgatorio.

Qui uerè pœnitet & recipit satisfactionẽ seu pœnitentiã sibi iniunctam ab ecclesia (claue nõ errante) quantũcunq; postea recidiuet, nunq; tenebitur, nisi ad illã unicam implendam satisfactionẽ, etsi eã compleat in charitate, melius est,

quia non tantũ soluit pœnam, sed meretur, sed si adimpleat eam uoluntarie extra charitatem soluit quidem pœnam, sed non meretur gratiam.

Alij sic dicunt: satisfactio extra charitatem facta scienter repetenda est, quasi nõ facta, quia per eam nihil pœnæ abluitur.

Deus duos modos satisfaciendi determinauit, sub disiunctione, hoc est, alterũ duorum uel in purgatorio, uel in præsenti uita: sufficit ergo propositũ satisfacere alterо modorum.

Satisfactio etiam in præsenti conceditur in feruorem pœnitentis, sed cuilibet licet cedere iuri suo, ideo qui negligit leuem satisfactionẽ, expectat seuerior em, quamuis stultè agat, sit etiam hoc signum remissę conuersionis & contritionis, si tamen cætera quæ sufficiunt, sunt ibi, non uidetur excludendus à regno Dei.

Satisfactio uopimi.

Et satisfactio quæ debet fieri proximo, sic habet. Peccatum non remittitur, nisi ablatum restituatur, sed licet sit ablatum restitutum, tamen adhuc manet satisfactio Deo satisfaciendа, quæ dicitur pœna &c.

Quemadmodum peccauimus corde, ore, & opere, ita oportet quòd tribus modis satisfaciamus, cõtritione, confessione, & restitutione. Primo per fletum ac gemitum cordis, ut inde ueniat pietas & humilitas, unde processit iniquitas. Secũdo per ieiunium ad puniendum carnem

carnem & animam. Tertio per orationem, ut inde egrediatur laus & benedictio, unde egressa fuit blasphemia aut stultiloquium, aut uaniloquium: item per elemosynam, ut mitigemus Deum aliquo munere, & ut pauperes deprecentur Deum, ut dimittat nobis peccata.

Satisfactio aliàs sic definitur. Satisfactio est Deo debitum honorem pro commissa culpa impendere.

Satisfactio est damni uel iniuriæ illatæ recompensatio, secundum æqualitatem iustitiæ.

Satisfactio est actus uirtutis materialiter & formaliter electiuæ quidem iustitiæ uindicatiuæ.

Satisfactio ad plura ordinatur, ad placationem diuinæ offensæ, ad remissionem pœnæ, ad excisionem radicum peccatorum, ad restitutionem minus iustè possessorum, & ad quædam alia. Principaliter tamen ordinatur satisfactio ad placandum diuinam offensam, ne ulciscatur peccatum. Et per hoc illa operatio uel passio uoluntaria est perfectior, & magis satisfactoria, per quam magis placatur diuina offensa. Et quoniam per nihil aliud magis placatur Deus, quàm per actum à charitate elicitum, ille actus est simpliciter magis satisfactiuus, qui à maiore elicitur charitate &c.

Satisfactio est duplex; reconcilians Deum & placans. Et de illa dicitur, quod non potest fieri de uno peccato, & non de alio. Et hæc satisfactio est, qua quis satisfacit Deo ex deuotione & in gratia, & uocatur ab aliquibus satisfactio meritoria. Alia est satisfactio, & dicitur solutiua pœnæ, quæ pœnam temporalem soluit, & nec est placans, nec est reconcilians. De illa dicitur, quod potest fieri de uno peccato, & non de alio, ut patet in recidiuante, qui implendo iniunctam pœnitentiam post recidiuam satisfacit pro peccato prius demisso, absque satisfactione pro peccato recidiuo.

Satisfactio quædam est plena, quædam est semiplena. Satisfactio plena est, quando simul fit satisfactio de iniuria & damno, unde pro nullo peccato, in quo fit auersio à Deo, potest satisfacere aliquis purus homo satisfactione plenaria, nec pro seipso, nec pro alijs, propter hoc quod offensa & iniuria excedit puram creaturam. Sed satisfactione semiplena homo potest satisfacere pro actuali suo peccato, sed non pro originali. Nam nullus homo potuit satisfacere pro originali, nisi Christus Deus & homo, de actuali potest quidem homo purus satisfacere, sed satisfactione semiplena, quæ supplementum & completionem recipit à passione Christi, Christus enim satisfa-

satisfaciens pro omni offensa, omnibus impetrauit gratiam, quantum ad sufficientiam, & merito illius satisfactionis homo concipiens gratiam satisfacit, postea deo pro læsione quã intulit sibi, actualis culpa.

Sicut in bello restituta amicitia, nõ statim remittitur debitum damni illati, ita post remissionem culpæ in contritione remanet debitum pœnæ satisfactoriæ. Iniungit autem sacerdos quædam ad satisfactionis fundamentum, sicut abstinere à peccato, & restituere ablata, quædã iniungit ad satisfactionis expeditionem, ut est uitare consortia malorum: quædam iniungit ad substantiam satisfactionis, ut ieiunare, uigilare, dare eleemosynam, peregrinari, & huiusmodi opera pœnalia: quædam iniungit ad perfectionem, & securitatem satisfactiõis, ut sunt opera supererogationis.

Satisfactio debet culpæ respõdere in tribus, scilicet, in numero, in pondere, & in mensura quoq;.

Satisfaciens tanto tempore debet esse in pœnitentia, quanto fuit in culpa.

Per satisfactionem tria magna bona nobis contingunt: impetratio gratiæ, remissio pœnæ & expurgatio reliquiarum culpæ.

Eleemosyna dupliciter potest accipi, aut intentione subleuandi necessitatem proximi, & sic est opus misericordiæ, aut intentione recõ-

pensandi pro debito offensæ diuinæ, & sic est opus iustitiæ, unde primo modo pertinet ad meritum uitæ: secundo modo ad meritum dimissionis pœnæ, quia eleemosyna sic data est propriè satisfactoria. Sic ieiunium, quod naturam seruat, & uitium quoq; domat, bonum est, & satisfactorium. Sic oratio pro admonitione malorum est tantummodo pars satisfactionis.

Satisfactio est actus uirtutis iustitiæ uindicatiuæ, imperatiuę est actus charitatis.

Satisfacere hic dicitur tantummodo de actionibus.

Nulla satisfactio debet imponi nuper baptizatis.

Nulla satisfactio debet imponi pro peccato originali, nec de eo debet esse pœnitentia propriè.

Pœnitentias canonum non semper oportet imponi.

Satisfactio septennis pœnitentiæ non exigitur pro quolibet pro peccato mortali.

Satisfactio ut pars sacramenti sufficit ad expiandam pœnam pro peccatis, non autem ex quantitate pœnæ, ideo oportet eam imponi.

Satisfactio iniuncta à sacerdote dupliciter ualet: ex natura operis, & ex ui quoque clauium, ideo plus ualet, quàm facta ex propria uoluntate.

Sa-

Satisfactio requirit opus meritorium, ideo pœna purgatorij non est satisfactoria, nisi largè, id est, pœnæ debitæ solutio.

Pœnitens per satisfactionē consequitur perfectum effectum gratiæ, quia liberatur totaliter à reatu peccati.

Ex proposito satisfaciendi cōfertur gratia.

Quilibet tenetur ad satisfactionem sibi à sacerdote iniunctam.

Homo non potest satisfacere de uno peccato sine alio.

Satisfactionem oportet fieri per opera pœnalia, ratione peccatorum præteritorum, & futurorum.

Homo potest satisfacere Deo, secundū qualitatem proportionis.

Satisfactio in proposito accusat gratiā, sed in executione auget eam.

Satisfactio pro se, uel pro alio dicitur pretium quoddam.

Vnus homo potest satisfacere pro alio, in quantum sunt enim in charitate.

Minor pœna requiritur in satisfactione pœnæ pro alio, quàm pro se, propter maiorem charitatem.

Satisfaciens pro alio, non satisfacit pro se, quia illa quantitas pœnæ non sufficit ad utrūq; sed sibi meretur aliquid maius dimissione pœnæ, scilicet uitam æternam.

Ad

Ad satisfaciendum pro alio, non requiritur impotentia pro alio, quo ad debitum, sed tantum, ut satisfactio est in remedium.

Christus satisfecit pro tota natura humana, sufficienter, non autem efficaciter.

DE INDVLGENTIIS.

Indulgentiæ & res sunt licitæ & expediunt.

Indulgentiæ ualent ad remissionem pœnæ, pro peccatis actualibus debitè ad diuinã iustitiã.

Indulgentiæ & sunt salutares, & ad fructum spiritus utiles.

Indulgentiæ non solum publicis criminibus sunt necessariæ, sed etiam cæteris duris & impatientibus.

Indulgentiæ etiam his sex hominum generibus utiles sunt, mortuis seu morituris, infirmis legitimè impeditis, his qui non cõmiserunt crimina, his qui crimina commiserunt etiam publica, qui meliora operantur.

Indulgentiæ sunt relaxationes pœnæ, quam iustè pro culpa propria pateremur, de thesauro Ecclesiæ ad diuinam iustitiam persoluendam, sumptæ.

Indulgentiæ secundum Thomam sunt, quæ dantur per satisfactiones, ad honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ.

Indul-

Indulgentiæ non dantur pro corporalibus, per se, sed ut corporalia ordinentur ad spiritualia &c.

Indulgentiæ potestate clauium liberant animas ex purgatorio.

Indulgentiæ ualent ad remissionem temporalis pœnæ.

Indulgentiæ ualent pro defunctis in gratia, & non in gratia.

Indulgentiæ papæ hominem ab omni pœna soluere, & saluare possunt.

Indulgentiæ possunt nos certos & securos reddere de nostra salute.

Indulgentiæ papæ sunt donum dei inæstimabile, qua reconciliatur homo Deo.

Indulgentiæ non tantum respiciunt ad pœnas satisfactionis sacramentalis, ab homine cõstitutas, sed etiã ad pœnas post hanc uitam.

Indulgentiæ papæ operibus misericordiæ meritò conferuntur.

Qui redimit indulgentias, melius facit, q̃ qui dat aliquid pauperi.

Indulgentiarum redemptio non est libera, sed præcepta.

Indulgentiæ nõ solum redimendæ sunt, sed etiam in illas fidendum est.

Vbi indulgentiæ prædicantur, tum ibi sileat uerbum.

Indulgentias dat papa de thesauris ecclesiæ.

Indul-

Indulgentiæ papales tantæ sunt dignitatis, ut soluere possint hominem, etiamsi quis per impossibile Dei genitricem uiolasset.

Meritum passionis Christi, est thesaurus Ecclesiæ, ex quo dantur indulgentiæ.

Error est dicere, indulgentias non expedire: item, error est dicere, indulgentias esse uitium operis, quo ipsum minus ualeat.

Non sequitur: Scriptum est: Propter me deleo iniquitates uestras: Ergo indulgentiæ improbandæ sunt.

Papa potest per indulgentias remittere pœnam pro peccato debitam.

Morituri, infirmi, legitimè impediti, non crimina publica habentes &cæt. tamen indulgentijs egent.

Indulgẽtię sunt satisfactionum remissiones.

Prudentię Christianæ est, credere indulgentias papæ & episcoporum.

Papa omnibus contritis & confessis dare indulgentias in remissionem peccatorum potest maximè pia loca uisitantibus, & ipsis manus suas adiutrices porrigentibus.

Singuli episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum canonum indulgentias in remissionem peccatorum dare possunt.

Quemadmodũ ex capite uigor in uniuersum corpus dimanat, ita ex papa ceu capite, uel si mauis corde, fluit in ecclesiam magna indulgẽtiarum uis.

Indul-

Indulgentiæ depromuntur ex opulentissimo ærario meritorum Christi.

Redimunt homines indulgentias ex præcepto Euangelico,

Pontifex ex thesauro Ecclesiæ dat indulgentias, qui thesaurus ex merito Christi & omnium sanctorum colligitur.

Papa non unciatim, nec libratim, sed effusissime debet largiri indulgentias.

Sancti multo plura passi sunt, quàm eorum cõmeruere peccata, igitur magna habent merita, quæ nobis formaliter seu uirtualiter applicantur per indulgentias.

Indulgentię non uenduntur pro pecunia, sed expenduntur pecunię, ut ad spiritualia ordinẽtur. Papa plenitudinẽ habet potestatis: ergo potest indulgentias elargiri per totã ecclesiã militantem, & tantas, quantas uult.

Qualitatem & quantitatem indulgentiarũ, non licet filo, aut amussi, hoc est, superstitiose indagare.

Indulgentiæ thesauri gratiarum sunt.

Sunt quidam diuitiis sic onerati excęcatiq; ut restitutionem male partorũ ad uerã pœnitẽtiam, ad relinquẽda bona, ut cõsulit Euangeliũ, nulla ui aut arte cõpelli allicięq; possunt, quare indulgentiæ inuentę sunt, ut istiusmodi hominibus medeatur, ut spem concipiant, nec in peccatis suis desperent. Nõ.

Indul-

Indulgentiæ tantum ualent, quantum sonãt claue non errante. Claũis autẽ tum errat, quando non exactè circumstantias rei, de qua est iudicium, expendit.

Merita Christi licet non sola & formaliter, & effectiuè, thesaurus sunt indulgentiarum, aurum & argentum formaliter sunt thesaurus, & ex auro atq; argento homines constituunt & efficiunt sibi thesaurum.

Bona opera Christi & thesaurus sunt Ecclesiæ, & ex operibus Christi & sanctorum efficitur thesaurus Ecclesiæ, hinc Christus dixit: thesaurizate uobis thesauros in cœlo.

Licet indulgentias motu proprio concedere populo etiam de facto, super uotis dispensare.

Per indulgentias extrahuntur animę ex purgatorio.

Indulgentiæ uni magis ualent, quàm alteri.

Animę duæ ac tres simul sæpe extrahuntur per indulgentias ex purgatorio, tacito occulto diuinæ seueritatis.

Prosunt suffragia, quæ inter indulgentiarũ numerantur radices.

Remissionem culpę à deo factam supponũt indulgentiæ, sine qua inanis est omnis indulgentia.

Dum papa liberalis est in concessione indulgentiarum, uiuis ac ueris mẽbris Ecclesiæ, quæ

sola

ſola recipere poſſunt efficaciam earum, Chriſtum imitatur. Ad Ro. 11. Diues in omnes, qui inuocant eum. Eſa. 40. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio congregabit agnos, et in ſinu ſuo leuabit eos, fœtas ipſe portabit.

His & ſimilibus diuinarũ literarũ teſtimonijs ſanctiac dicati deo uiri ingenioq; excellẽtes, pbarunt Romanũ põtificem ſatisfactiones in eccleſię theſauris repoſitas, ſuo iudicio applicare poſſe ad pœnas luendas criminũ eorũ, qui tanti feruoris ſunt, ut pœnitentiam pro ſuis peccatis condignam agere ualeant.

Fas eſt Romano pontifici, nõ niſi pro honore dei & ſanctę Eccleſię utilitate, largiri uenias, ut eius imperium non diſſentiat à uotis ſanctorum, qui paſſi plura fuere, quàm eorũ crimina meruerunt. At quoniam claues regni cœlorũ habet papa, poteſt aperire quibuſcunq; non ingreſſis, ſed ingredi ualentibus, ut ſunt qui purgatorij ignibus alligantur.

Peccatum non leue eſt, indulgentias ad baſilicam ſancti Petri impedire. Hoc peccatum qui committunt, cœci tangunt parietem, nec intelligunt interiora domus.

Indulgentiæ nunc ſignificant remiſſionẽ pœnę, nunc cõceſſionem gratiæ, nunc diſpenſationem.

Quanquam uehementer hoc indulgentię auctoramentum ad mulctæ liberationem ualitu

rum dicatur(ut theologi uolunt ferè omnes)tamen uehementius quædam absolutionis genera, ob essentiæ præmium mereri, quod longè sit temporariæ mulctæ liberatione præstantius.

Indulgentia est quædam remissio pœnæ debitæ pro peccato post contritionem habitam de Deo.

Vel indulgentia est pœnæ relaxatio, quam quis iuste pro culpis proprijs facere debuisset de thesauro Ecclesiæ ad diuinam iustitiam persoluendam sumpta.

Indulgentiæ solum respiciunt pœnam, non culpam, & ita non à culpa, sed à pœna absoluunt.

Per quadragenã designatur pœnitentia quadraginta dierum, cum septem annis sequentibus, quam pœnam iniungebant ratione unius peccati mortalis, ita quòd per istos septem dies pœnitentes excludebantur à consortio Ecclesiæ, & incedebant capite discooperto, sparso crine, & post eosdem dies iniungebatur eis pœnitentia septennis. Et intra hos annos septẽ non utebantur carnibus, nec uino, nec lecto, nec balneo quoque, sed dormiebant potius in terra aspera, uel lapide. Et expletis iam illis septem annis, licuit illis primum communicare.

Septena iniungebatur pro uno peccato mortali,

tali, ab Innocentio instituta.

Carena siue carentena erat pœna includens pœnitentiã quadragenę & septenę, quia sic pœnitentes abstinebant à cibis, & à conuersatione hominum, & ieiunabant in pane quadraginta diebus, licet modo canones pœnitentiales sint arbitrarij pœnæ arbitrariæ.

Vt indulgentię ualeant, duplex exigitur cõditio, una ex parte donantis, altera ex parte recipientis. Ex parte dantis requiritur potentia honesta, & rationabilis causa. Ex parte recipientis exigitur confessio cum uera contritione, & fides cum uera deuotione, ut uerè de peccatis sit pœnitens, & uere confidens, quòd indulgentia ualeat sibi.

Alij quatuor ponunt requisita ad ualorem indulgentiarum. Quòd sit contritus, & confessus, uere pœniteat & conterat.

Potestas prælatorum in dando indulgentias, non est, nisi quædam potestas dispensationis, quæ debet esse rationalis ad ædificationem.

Si detur remissio plenaria omnium peccatorum, ille, qui ipsam lucratur, si moritur tunc, statim euolabit in paradisum, & sic uni tantum quandoq; ualet plenaria indulgentia ad decem dies, alij ad centum, alij ad mille dies, quia tantum tenebatur, quibus uero salutis remanet expeditus.

Solus papa ſupremus, unā cum patre, & filio, & ſpiritu ſancto, poteſt dare plenaria autoritate, omnimodam indulgentiam, à pœna & à culpa, quam dum confert, dat innumerabiles & infinitos indulgentiarum dies. Poteſt autem hoc Eccleſia facere, ut uult, quia hoc facit ex diuina autoritate. Theſaurum enim meritorum Chriſti, & martyrum & confeſſorum, & uirginum recommendauit Eccleſię diſpenſandum, cum Eccleſia, & prælatis tradidit claues regni cœlorum.

Et ſi indulgentia eſt determinata & taxata, quo ad quantitatem eleemoſynæ, qui tantum dat, totum conſequitur: Qui autem non tantum, quia non poteſt, non lucratur indulgentiam: licet enim aliàs bona uoluntas ſufficiat ad merendum, ſed ad ſatisfaciendum non ſic. Hoc modo pauper homo & diues non ſunt eiuſdem conditionis. Nam is qui moritur paratus ſatisfacere, propter hoc non eſt immunis, ita & uelle indulgentias, non facit lucrari eas.

Accipit & indulgentiam, qui pio alicui loco ſubuenit.

Indulgentias tam boni, quàm mali dare poſſunt. Nam malus epiſcopus poteſt indulgentias dare, quia n~~on facit indulgentias de proprio~~ merito, quo priuatur per mortale peccatum, ſed de theſauro Eccleſiæ, cuius peccatum non ab-

abstulit sibi dispensationem.

Papales indulgentiæ prosunt defunctis in purgatorio, quandoquidem crux aliquando datur pro duabus, uel quatuor, uel decem animabus.

In Ecclesia est thesaurus meritorum Christi, & perfectorum, de quo solus papa, qui claues habet huius thesauri pro necessitatibus Ecclesiæ potest accipere & dispensare.

Episcopi in indulgentijs non habent potestatem generalem, sed limitatā, & nō nisi per summi pontificis dispensationem.

Propriè loquendo papa non absoluit defunctos à pœna, sed quasi pro eis soluit de communi thesauro Ecclesię. Viuentes utroq; modo absoluit papa.

Causæ, pro quibus debent dari indulgentiæ, est honor Dei, & communis utilitas Ecclesiæ &c.

Indulgentiæ tantum ualent, quantum sonant, si adsit autoritas dantis, charitas recipientis, & pia causa.

Indulgentia se non extendit ad remissionem culpæ, quia non est sacramentalis, potest enim & non sacerdos dare indulgentias, si fuerit ei commissum.

Indulgentiæ ualent ad remissionem pœnæ iniunctæ, uel iniungendæ, propter infinita merita Christi, & sanctorum.

Solus papa habet plenariam potestatem dandi indulgentias, alij autem secundum taxationem eius.

Legati non sacerdotes possunt dare indulgentias.

Indulgentias non possunt dare, nisi episcopi & alij de licentia eorum.

Indulgentiæ datæ ab existente in peccato mortali, tantum ualent, quantum datæ à sanctissimo, cum non remittat ex ui suorum meritorum, sed ex ui meritorum reconditorum in thesauris Ecclesiæ. Dans indulgentias indirectè, tamen ualent.

Indulgentiæ non mensurantur secundum deuotionem, & laborem recipientis, nec secundum qualitatem dantis, nec secundum causam pro qua dantur.

Nullus potest sibi soli dare indulgentias, sed potest uti eis, quas pro alijs dat.

Indulgentiæ non ualent existenti in peccato mortali, nisi dispensatiuè.

Orans pro rege Franciæ, habet decem dies de indulgentia, à papa Innocentio quarto, licet sit purè spirituale.

Venia debetur alicui dupliciter, scilicet, uel ei, quod indulgetur, id est, peccatum tantum, uel ei, quod est indulgendi ratio, ut infirmitas, & huiusmodi, non autem peccatum.

Qui ore profitetur Euangelium uera sunt ecclesiæ membra.

Ecclesia super Petrũ & eius successores fundata est.

Ecclesia est ciuile regnum, quod brachio seculari opus habet, mundanis armis, humanis traditionibus, & ciuilibus legibus, ad salutem animæ.

Ecclesia est societas externarũ rerũ, ac rituũ.

Ecclesia est externa politia bonorũ et malorũ.

Ecclesia ad certas obseruationes & circumstantias alligata est.

Ecclesia Papæ relicta est, ut eam regat pro uoluntate.

Ecclesia ligatur ad homines ratione potestatis & dignitatis, cum ecclesiasticę, tũ secularis.

Ecclesia est monarchia externa & suprema, totius orbis terrarum, in qua papa irrefragabilem habet potestatem, tam in laicos, quam clericos, cui resistere, sine factis, sine uerbis, nemini mortalium est integrum. Imp. 193. a.

Non uniuersa Ecclesia habet potestatem soluendi & ligandi peccata, sed tantum clerici.

Ecclesia habet potestatem condendi articulos fidei.

Ecclesia habet potestatem statuendi præcepta bonorum operum.

Ecclesia habet potestatem approbandi articulos, & præcepta, & scripturas sanctas, more maioris, uel autoritate iudiciali.

Ecclesia habet potestatem ordinandi ceremonias, in ferijs, in cibis, in ieiunijs, precibus, uigilijs &c. non solum super seipsum, sed etiam super alios.

Augustinus dixit: Euangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ authoritas commoueret: Ergo Ecclesiæ autoritas maior est, quàm Euangelij.

Ecclesia est politia, constituta ordinationibus humanis, sacrificiorũ, sacerdotij et rituũ.

Non est recipiendum, Romanam Ecclesiam non fuisse superiorem alijs Ecclesijs, ante tempora Sylueſtri.

Ecclesia Christi, & qui p̃sident in illa, cõstitutiones faciunt & mandata, ad honorẽ dei, ac fideliũ emẽdationem, quæ etsi ~~in propria forma in sacris literis~~ nõ reperiuntur, ~~sunt tamen obligatoria in foro conscientiæ, ut qui hæc contempserit, Christum contemnat.~~

Non solum prędestinati ad uitam sunt in uera Ecclesia, sed etiam mali & reprobi.

Non rectè definitur Ecclesia, quòd sit congregatio sanctorum.

Ecclesia est monarchia externa suprema totius orbis terrarum, in qua oportet Romanũ pontificem habere potestatem ἀνυπεύθυνον, de

de quo nemini licet disputare aut iudicare; condendi articulos fidei, abolendi scripturas quas uelit, instituendi cultus & sacrificia, item condendi leges quas uelit, dispensandi & soluendi quibuscunq; legibus uelit diuinis, canonicis, ciuilibus, ~~à quo imperator & reges omnes accipiant~~ potestatem & ius tenendi regna, de mandato Christi, cui cum pater omnia subiecerit, intelligi oportet hoc ius in papam translatum esse, quare necesse est Papam esse dominum totius orbis terrarum, omnium regnorum mundi, omnium rerum priuatarum & publicarũ, habere plenitudinem potestatis in temporalibus & spiritualibus, habere utrunque gladium spiritualem & temporalem &c.

Non satis est ad ueram unitatem ecclesię, cõsentire de doctrina Euangelij, & administratione sacramentorum, nec necesse est, ubiq; similes traditiones humanas esse, seu ritus aut ceremonias ab hominibus institutas.

Est de necessitate salutis, credere Romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.

Non uerè definitur ecclesia sancta, quòd sit uniuersalis ecclesia & prędestinatorum uniuersitas.

Nec hoc uerum est, uniuersalem sanctam ecclesiam tantum unam esse, sicut tantum unus est numerus omnium prædestinatorum.

Præsciti partes sunt ecclesiæ ueræ semper.

Quemad modum hortulanus summa cura uigilat, ne zizania adcrescat ueris herbis, item ne ramus in arbore minus directè excrescat, ita ecclesia uigilare summa cura debet, ut purget, quę sunt purgãda, & dirigat, quę sunt dirigenda, non solum ea, quę per se mala sunt, sed etiã illa, quę per se non sunt mala. Sic olim purgauit ecclesia ecclesiam, & liberauit illam ab altera specie in sacramento.

b. Tanta est authoritas ecclesiæ, ut illi credat scriptura. Sic ecclesia sabbatum Iudæorum tulit, non scriptura. Sic circumcisio in uerbo fundata, cessit authoritati ecclesiæ &c.

Ecclesia regitur spiritusancto: ergo dum quę dam aufert, quæ in scriptura scripta sunt, non peccat. Eccius.

Christus promisit se mansurum apud ecclesiam usq; ad consumationem sæculi: ergo credendum est quicquid statuit ecclesia.

De necessitate salutis est credere, Romanam ecclesiam esse super alias.

Delictum personę non debet in damnum ecclesiæ redundare.

Seruus super ecclesiã constitutus est Petrus, & sic eius successores super ecclesiã serui sunt.

Papa distributor est thesauri ecclesiæ.

Romana ecclesia, quæ semper immaculata permansit, domino prouidente & beato Petro opem ferente in futuro permanebit sine ulla hære-

hereticorum insimulatione, atq; infirma & mobilis omni tempore persistet.

Ecclesia Romana habet sanctum Michaelem patronum, Michaelem uerò innumerus angelorum chorus armis cœlestibus sequitur, quare perire non potest.

Deus mandauit angelis, ut pro Romana ecclesia custodiam accipiant, ne offendat pedem ad lapidem. Rectè cecinit Dauid de Romana ecclesia. Super aspidem & basiliscum ambulabis &c.

Romana ecclesia fuit superior alijs ecclesijs ante Sylue stri tempora.

Papam successorem Petri, & uicarium Christi generalem super omnes ecclesias semper agnouimus.

Romana ecclesia omnium ecclesiarum mater est.

Sic confiteturuerè Christianus: Ego loquentem Christum nunquam audiui, nisi per ecclesiæ testimonium. Matthæi, Marci, Lucæ & Ioannis scripta mihimè agnosco, nisi quia credo ecclesiæ illis testimonium perhibenti. Aeque quòd humano more in scripturis suis non supposuerint falsa pro ueris, prorsus nescio, nisi ecclesiæ testimonio.

Ecclesia dicitur & catholica, id est, uniuersalis, per totum terrarum orbem diffusa.

Ecclesia duplex est: militans & triumphans.

Mili-

Militans ecclesia est cōgregatio omnium fidelium uiatorum, sub Christo militantium contra diabolum, carnem, & mundum. Vnde pagani & infideles nō sunt de ecclesia militante, nec beati, nec comprehensores, nec Christus, licet sit dux & rector militantis ecclesiæ.

Habet hæc ecclesia sua arma. Primo baptismus est armatura intrantium ecclesiam militantem. Secundo est terribilis, iuxta illud Canticorum. Ipsa est terribilis, ut castrorum acies ordinata, quia munita & fortis, & hoc per confirmationem. Tertio dicitur acies, quia coniuncta & unita est Christo per eucharistiam. Quarto dicitur ordinata, & hoc per sacramentum ordinis. Quinto quia aliqui ex ea extrahuntur per mortem corporalem, ideo institutum est sacramentum matrimonij ad multiplicandum prolem. Sexto quia multi prosternuntur per mortalem culpam, ideo institutum est sacramentum pœnitentiæ ad resurgendum. Septimo est sacramentum exeuntium, scilicet extrema unctio. Et quicunq; egressus fuerit ecclesiam militantem cum omnibus armis suis, scilicet sacramentis conferentibus gratiam, sine dubio uadit ad ecclesiam triumphantem, quincunq; exit de ecclesia militante sine armis necessarijs ad salutem, sine dubio ad infernum uadit.

Ecclesia militans uno modo potest accipi pro

pro ecclesia uniuersali, & sic est unica ecclesia, extra quam non est salus, alio modo pro ecclesia particulari, & sic sunt plures ecclesiæ.

Ecclesia militans propriè sumpta pro ecclesia uniuersali potest isto modo describi. Ecclesia est omnis homo fidelis, uel omnes homines fideles actu uel habitu implicite uel explicitè credentes, uel ænigmatice cognoscentes omnes catholicas ueritates. Dicuntur autem catholicæ ueritates, quibus quilibet uiator actu uel habitu explicite uel implicite firmiter assentire tenetur.

Ecclesia Petri potest sumi dupliciter. Vno modo pro ecclesia, quam Petrus personaliter rexit. Alio modo pro ecclesia particulari, in qua ipse sedem tenuit. Et isto modo dicitur fuisse ecclesia Romana.

Ecclesia Romana capitur multipliciter, aliquando pro summo Pontifice, & quibusdam presbyteris & diaconis, quandoq; sumitur pro solis cardinalibus, quandoq; pro omnibus credentibus fidem apostolicam prædicatam Romanis; quandoq; pro omnibus clericis Romanis, aliquando pro omnibus fidelibus Romanæ diocesis.

Romana ecclesia nō potest contra fidem errare.

Quando Christus ait ad Petrum: Petre rogaui pro te, ne fides tua deficiat &c. non loquitur

tur de aliqua ecclesia partiali, sed de ecclesia totali.

Ecclesia dicitur dupliciter: Corpus Christi mysticum tantum, & corpus cum capite, scilicet Christo, primo tantum modo dicitur sponsa, secundo modo membrum ecclesiæ.

Ecclesia est magna tripliciter: dilatatione, potestate, & dignitate.

Ecclesia est ciuitas, quia est multitudo liberorum, per se sufficiens & unita.

Corpus ecclesiæ mysticum consistit ex hominibus & angelis, ex uiatoribus & beatis.

Synagoga concubina est, non sponsa.

Ecclesia nunc eandem habet potestatem statuendi, quam habuit tempore apostolorum.

Ecclesia potest condere legem, in pertinentibus ad cultum Dei, & ad subiectionem infidelium & rerum suarum.

Ecclesia ædificata fuit per totum mundum, sed postea per Nicolaum hæreticum & Machometem, ad infidelitatem redierunt.

Solus Christus fundauit ecclesiam, sed ministerium eius committit Petro & successoribus eius, in ædificatione.

Nullus prohibetur ingredi ecclesiam, & audire uerbum Dei, usq; ad Missam Catechumenorum.

Ecclesia potest accipi in usus communes elicitos, propter necessitatem, sicut ad cibũ & huiusmodi.

In casu necessitatis licet uendere aut emere terram, ubi aliquando ecclesia fuit, uerum annexum spirituali, non potest emi aut uendi, quia est simonia.

DE ECCLESIASTICA potestate, seu clauibus.

Potestate clauium etiam pœnę in purgatorio remittuntur.

Ecclesiastica potestas est dominium in rebus spiritualibus & ciuilibus simul, atq; adeo potestas tam in omnes laicos, quàm Clericos, cũ autoritate cõdendi & statuendi leges, quibus regantur homines, cum in spiritualibus, tum in ciuilibus rebus, & ubi legibus non est locus, subeant arma ad defendendum militantis ecclesiæ, tam spiritualia, quàm corporalia bona.

Ius conferendi ecclesiasticã potestatem, penes solum Papam stat, & non penes ecclesiam.

Soli Petro & eius successoribus Pontificibus data est ecclesiastica potestas.

De proprio ecclesiasticę potestatis officio est ordinare ceremonias in ecclesia.

Potestate clauium per indulgentias liberantur animæ ex purgatorio.

In reseruatione casuum, nõ solum pœna Canonica, sed etiam culpa reseruatur, in illis etiam qui uere conuertuntur.

Fal-

Falsissimum est, claues esse thesaurum ecclesiæ.

Spectat ad potestatem ecclesiasticam facere mandata & constitutiones in ecclesia, ad honorem Dei ac fidelium emendationem, quæ etsi in propria forma in sacris literis non reperiantur, sunt tamen obligatoriæ in foro conscientiæ, ut qui has contempserit, Christum contemnat.

Ligare & soluere aliud est, quām prædicare Euangelium.

Potestatis ecclesiasticæ est, non solum docere uerbum, sed & condere & statuere leges.

Est de potestate clauium, non solum nouos cultus instituere, sed etiam quosdam casus reseruare.

Iurisdictio ciuilis etiam iure diuino competit episcopis.

Potestas ecclesiastica est, qua episcopi habent ius instituendi ceremonias, leges, de cibis, ferijs, gradibus ministrorū seu ordinibus &c.

Peccata potestate clauium remittuntur coram ecclesia, non autem coram Deo.

Potestate clauium non remittuntur peccata coram Deo, sed est instituta potestas clauium, ut mutet pœnas æternas in temporales, ut imponat certas satisfactiones conscientijs, ut instituat nouos cultus, & ad tales satisfactiones & cultus obligat conscientias.

Potestas

Potestas clauium habet mandatum commutandi pœnas, aut partem remittendi.

Irrita sunt omnia, quę contra ecclesiasticam potestatē, contra priuilegia & immunitates ecclesiæ dicuntur.

Episcopi habent potestatē regiminis, & cohercitiuæ correctionis, ad dirigendum subditos in finem beatitudinis æternæ.

Ad potestatem regiminis requiritur potestas iudicandi, definiendi, discernendi, & statuendi ea quę ad perfectum finem expediunt aut conducunt.

Duę sunt claues sacerdotis. Altera est clauis scientię, per quam cognoscit, quis dignus sit absolutione. Altera est clauis potestatis pronunciandę sententiæ. His add. debet potestas cogendi, ut prędictę claues suum officium expedire possint.

Potestas clauium dicitur potestas ordinis, quia omnis sacerdos ordinatus habet illam potestatem, licet inde executionem.

Falsum est, quemlibet sacerdotem habere potestatem absoluendi.

Iurisdictio ecclesiastica in reseruatione casuum plurimū ad timorē plebis momenti habet.

Quidam casus iure diuino reseruantur ex ecclesiastica potestate.

Duę sunt claues Petro & sic alijs ministris ecclesię relictæ, altera potētia cognoscēdi, altera ligandi & soluendi.

Sequitur rectè. Deus remittit culpam: ergo & uirtus clauium ex se.

Ecclesiastica potestas nō necessariò fundatur in fide uel gratia, sed in charactere baptismali, quem de lege cōmuni necessariò præsupponit.

Potestas clauium fundatur in charactere sacerdotali.

Potestas clauium indelebiliter & inseparabiliter adhæret ordini.

Potestas sacramenti est triplex: auctoritatis, excellentiæ & ministerij. Potestas auctoritatis est, qua quis ex se principaliter nō ab alio superiore potest remittere peccatum. Et hæc est solius Dei cōmunis tam patri, & filio, & spiritusancto, & licet filius & spiritussanctus hanc potestatem à patre habeant, à quo habent & essentiam, & ita ab alio, non tamen à superiore habent, eò quòd pater non est superior filio, & spiritusancto. Potestas excellentiæ, est potestas quodammodò inferiori delegata cum prærogatiua. Et hæc consistit in quatuor prerogatiuis, quæ sunt mereri efficaciam sacramentis, conferre effectum sacramenti, siue sacramentis instituere sacramenta, & in eius nomine cōferre sacramenta. Potestas ministerij est potestas dispensandi, uel etiam ministerialiter sacramenta instituendi. Potestas baptismi est potestas cōferendi effectū baptismatis. Hic autē est remissio peccatorum. Hanc triplicem potestatem habuit Christus.

Po-

Potestas est duplex: ecclesiastica & sœcularis. Ecclesiastica est potestas, quæ à Christo supernaturaliter & specialiter collata est suis Apostolis ac discipulis, & coram successoribus legitimis usq; in finem sœculi, ad ædificationem ecclesiæ militantis secundum leges Euangelicas, pro consecutione uitæ æternæ.

Potestas ecclesiastica fundatur de necessitate de domo supernaturali, sicut est character baptismalis de communi lege, qui character in uiatoribus eos de ecclesia militante reddit, facit insuper idoneos & capaces ecclesiasticæ potestatis.

Legitur sextuplex potestas, data à Christo Apostolis pro se & eorum successoribus, ministris scilicet ecclesiæ, quales sunt episcopi & presbyteri, sunt autem hæ potestates: Potestas consecrationis, sacramentorũ administrationis, prædicationis, iudiciariæ correctionis, dipositionis ministrorum ecclesiæ accipiendi uitæ necessaria, ab his quibus spiritualia administrat.

Potestas ecclesiastica prima sui diuisione secernitur in potestatem ordinis & iurisdictionis.

Potestas ordinis est duplex, quædã est respectu corporis Christi ueri, & quædam respectu corporis mystici. Prima est potestas conficiendi uerum corpus Christi & sanguinem eius,

Secunda est potestas ligandi & soluendi, & utraq; potestas confertur in collatione ordinis sacerdotalis. Et fundantur illæ duæ potestates in charactere sacerdotali, siue uno siue duobus, & ideo sunt inauferibiles. Et licet mortale peccatum, hæresis, degradatio, & aliæ pœnæ canonicæ, potestates illas suspendant, tamen non tollunt, quia potestates illæ fundantur in charactere sacerdotali, & ideo sunt indelebiles.

Quamuis degradato auferatur priuilegium clericale, & relinquitur curiæ seculari, tamen nõ ideo aufertur ordo, quia priuilegium non est essentiale ordinis.

Potestas ligandi & soluendi est duplex: quędam confertur ex ui ordinationis in sacerdotem, quum episcopus imponens manum suam super capita ordinandorum, & dicit: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis &c. Hæc potestas in omnibus sacerdotibus est æqualis, & uocatur illa potestas officij uel ordinis sacerdotalis, sicut & character sacerdotalis, in quo hæc potestas fundatur, quędam executionis, & hæc est duplex, quædam est executionis simpliciter, sine qua habens potestatem nemini eam soluit & ligat, & hęc aliquando cum ordine non accipitur, sicut quando quis ordinatur ab episcopo non suo sine licentia sui episcopi, aut quando ordinatur ab excommunicato, de-

degradato, uel suspenso, quorum omnium una est ratio, quia episcopi ordinantes in his casibus, non habent executionis huiusmodi potestatem, & ideo ad alios illam nõ transmittunt, quia quod quis nõ habet, non potest alijs dare. Et idem contingeret, si forent eadem impedimenta ex parte ordinanti. Potestas igitur prędicta accipitur cum ordine, quando non occurrunt prædicta impedimenta. Et hę duę potestates, dicuntur remotæ, quia possunt impediri.

Potestas iurisdictionis est, quæ requirit prælationem super aliquam plebem uel personam tanquam materiam super quam exerceri debet, tam prima potestas, quam secũda, ut faber uel artifex non potest operari, nisi detur materia, in quam operetur. Materia uerò est peccatum per se, & per accidens peccator, eo modo quo pœnitentię sacramentũ conceditur habere materiam, unde in hoc dicitur sacerdos habere potestatem iurisdictionis, quia subijcitur ei materia, in quã exercet potestatẽ ordinis. Est ergo potestas ordinis, potestas ad utrãq; executionẽ & iurisdictionẽ, sed remota, fit aũt propinqua remotis impedimentis, & subiecta materia.

Potestas iurisdictionis est duplex, quædam ordinaria, quæ scilicet alicui conuenit ratione beneficij aut dignitatis, in quo uel qua constitutus est ipso iure, & talis est potestas prelationis & curatorum, & hi possunt uices suas alijs

committere. Alia est potestas iurisdictionis delegata uel commissa, siue extra ordinaria. Et hæc est duplex, quædam est limitata solum ad arbitrium committentis, & per se nullo iure suffulta, ut est potestas adiutorum, quos curatiaſ sumunt in subleuamen laboris audiendi confessiones, siue commissio eius fiat generaliter ad omnes parrochianos, siue ad aliquos specialiter, siue ad unum singulariter. Alia est potestas quasi media inter ordinariam & commissam, quæ seruata forma in iure statuta ampliari potest committentis arbitrio & non restringi. Hæc est potestas fratrum mendicantium, seruata forma expressa in C. Dudum de sepulturis in Clement. Et quicunq; habet iurisdictionem in alium ligandi uel soluendi, habet illam à Papa, qui est summus hierarcha & princeps ecclesiæ, & hoc mediate, uel immediate. Immediate ut archiepiscopi, mediate ut inferiores prælati, qui suam institutionem recipiunt ab archiepiscopis, episcopis, & alijs inferioribus ordinarijs.

In corporalibus clauis est instrumentum ad remouendum aliquod obstaculum. Et quoniam in spiritualibus inuenimus obstaculum ingrediendi in regnum cœleste, necesse est illud remoueri, ideo ad spiritualia nomen clauis transferimus, uocantes clauem illam uirtutem, per quam obstaculũ (ut est peccatum) remouetur.

Quem-

Quemadmodum clauis materialis est proximum instrumentum aperiendi & claudendi ostiū, & per hoc nō est apertio, nec aperiens, nec causa propter quā aperitur. Sic clauis spiritualis est aliquod requisitū ad aperiendum regnū cœlorū, quod nō est aperiens, nec apertio, nec causa propter quam aperitur, uelut est dignitas personæ ad intrandum, aut dignitas ad repellendum propter meritum aut demeritum. Nam apertionem intelligimus ipsam sententiam dictantē esse aperiendum uel claudendū, & aperientem iudicem sententiantem. Sic ergo clauis est potestas sententiandi.

Claues spirituales, q̄bus cœlū pōt reserari homini, distinguūtur plures. Vna est sana doctrina, secūda est uera pœnitētia, tertia est sanguis Christi & pœna, quarta est potestas collata à Deo supernaturaliter sacerdotali dignitati.

Clauis duplex est, altera ordinis, altera iurisdictionis. Clauis ordinis, qua peccata soluuntur uel retinentur, non semper habent materiā in actu. Clauis iurisdictionis requirit materiam subiectam, sicut dominus seruum.

Clauis spiritualis est potestas iudicandi, soluendi & ligandi, qua dignos recipere, & indignos excludere debet à regno Dei ecclesiasticus iudex.

Ex potestate clauis sacerdotes homines ligatos & solutos ligāt & soluunt, dū pœnitētibus

ſatisfactionem imponunt, & de temporali pœna remittunt.

Vſus clauium non eſt, niſi in ſacramentali abſolutione.

Poteſtas quoq; clauium extendit ſe ad remiſſionem & retentionem culpę, non coram deo, ſed coram facie Eccleſiæ. Et quamuis aliquis apud Deum ſit ſolutus, non tamen in facie Eccleſiæ ſolutus habetur, niſi per iudicium ſacerdotis.

Clauis dicitur errare, quando ſacerdos abutitur claue. Poteſt ergo utraque clauis errare poteſtatis & ſcientiæ. Poteſtatis quando ſacerdos abſoluere tentat, non ſuæ iurisdictioni ſubiectum, aut quem nouit non contritum, & in utroque caſu ille error imputatur ſacerdoti ad culpam. Debet enim ſacerdos ſpiritualis ſcire, ad quos ſe extendit ſua iudiciaria poteſtas, & non excedere limites ſuę poteſtatis. Similiter non debet indignos abſoluere, nec dignos ligare.

Error clauis ſcientiæ, poteſt contingere uel ex parte ſacerdotis, uel ex parte confitentis. Ex parte Sacerdotis omittit inueſtigare neceſſaria: puta an confitens ſit contritus, an non, aut circumſtantias neceſſariò confitendas, uel dum abundat ſuperfluis, puta quando inquirit, quæ audire delectat, non pertinentia ad hunc forum, peccat autem Sacerdos

ſatisfa-

ſatisfaciendo pruritui aurium ſuarum. Item circumſtantias fatuas peccata non aggrauantes, nec alleuiantes, & tunc non poteſt ferre rectũ iudicium, niſi à caſu. Poteſt etiam contingere error ex parte confitentis, quia ſcilicet fictus eſt, & fingit ſe contritum, cum tamen non ſit, & per hoc ſacerdos credit, qui non eſt, & ita errat ſuo iudicio.

Deus autem ſacerdotis errantis in cognoſcendis neceſſariis, arbitrium nõ approbat, nec eius iudicium.

Arbitrium uerõ ſacerdotis à Deo approbatur, dum clauis ſcientiæ errat in ſuperfluis, nõ tamen omittit aliquid in neceſſariis, quantum ad pœnitentem, non autem quantum ad ſacerdotem &c.

Claues Eccleſiæ ſunt duæ: diſcernendi & iudicandi, & diſtinguuntur ratione, non autem eſſentialiter.

Clauis inferni eſt poteſtas dandi gratiã, quę ſoli Deo conuenit, qua aperitur porta inferni, id eſt, tollitur peccatum, & clauditur, ne labatur iterum in peccatum. Sed clauis regni eſt poteſtas dimittendi reatum, quæ conuenit homini, uel eſt eadem cum claue inferni, ſed denominatur à digniori.

Claues Eccleſiæ quo ad eſſentiam, dantur in ordinatione, ſed uſus in iurisdictione.

Clauis ſcientiæ non eſt habitus ſcientiæ, ſed

est potestas exercendi actum scientiæ, in iudicio confessionis.

Clauis scientiæ, id est, autoritas iudicandi siue scientia, non potest sine peccato accipi, sed bene è conuerso.

Clauis ordinis est quid sacramentale, nõ autem clauis iurisdictionis, ideo effectus eius subiacet arbitrio hominis, non autem primæ.

1. Deus habet claues ecclesiæ per autoritatem, 2. 3. Christus per excellentiam, sacerdos per ministerium.

Sacerdotes ueteris Testamenti nullã clauem habebant.

Christus Petro contulit clauẽ ordinis & iurisdictionis, & ab eo in alios descendit.

Collegium potest habere clauem iurisdictionis, non autem ordinis.

Mulier nullam clauem potest habere.

Soli sacerdotes habẽt clauem ordinis, & clauem quoque iurisdictionis, & alij habere possunt.

Sancti non sacerdotes, nõ habent usum nec essentiam clauium.

Sacerdos malus habet usum clauium, sed peccat utendo.

Scismatici, hæretici, suspensi, & degradati, non habent usum clauium.

Inferior potest uti claue in superiorem subiicientem se illi, aliàs non.

Cla-

Claues Ecclesiæ disponunt ad remissionem culpæ, quam & remittunt, & ligant ad pœnam &c.

Claues habent efficaciam ex merito Christi, & aliorum, qui sunt de Ecclesia.

DE SCANDALO.

Mandatum Dei non est semper præferendum scandalo.

Iustas habent conscientiæ scandali causas, quando uident, quamcunque religionem labefactari.

Propter uitandum scandalum, etiam impij doctores ferendi sunt.

Obex alicui posita, in uia corporali, cui impingens disponitur ad ruinam spiritualem, dicitur scandalum.

Fieri potest, ut etiam iustum scandalum oriatur ex operibus supererogatiuis, ita ut quis mortaliter scandalizetur.

Si timendum est scandalum ex opere supererogationis, scandalum scilicet, quo quis scandalizatur mortaliter, tũc omissio illius operis est in præcepto: si autem non est timendũ scandalum mortaliter, sed uenialiter, omissio illius operis est in consilio: admonitus autem proximus, ne scandalizetur, & ubi scandalizari tamẽ uult, non curandus est.

Scan

Scandalum est dictum uel minus rectũ præbens alijs occasionem ruinæ.

Omne scandalum actiuũ dantis est peccatũ.

Scandalum actiuum per se, id est, intentum, est speciale peccatum, non autem per accidens.

Scandalum actiuum intentum, est specialiter peccatum formaliter, ex parte finis, & habitus imperantis, scilicet alij, non autem ex parte obiecti, & habituum elicientium, nec etiã scandalum non intentum.

Vtrunq; scandalum & actiuum & passiuum est aliquando ueniale, & aliquando mortale.

Scandalum actiuum est grauius peccatũ, q̃ passiuum.

Scandalum actiuum uel passiuum non conuenit perfectis, nisi de ueniali, sed imperfectis etiam de mortali.

DE VITA AETERNA, seu beatitudine, item de resurrectione.

Vitæ æternæ gaudia non solum spiritualia, sed & corporalia erunt.

Vita æterna est merces debita pro nostris meritis.

Ad uitã æternã patet aditus ex purgatorio. Scriptum est: Si uis ad uitam ingredi, seruamã da-

data: ergo uita æterna pendet ex conditione legis.

Vita æterna dicitur merces: ergo debetur pro operibus.

Opera sunt digna uita æterna, tanquam debita mercede.

Vita æterna si non est debita merces, fit incerta, quia debitum certum est, misericordia autem incerta, non aliter atq; in foro apud homines ius certum est, misericordia incerta.

Vita æterna quia uocatur merces, igitur debetur ex condigno pro bonis operibus.

Vita æterna propriè pro operibus debetur, quia Paulus dicit: Reddet unicuiq; propter opera sua &c.

Nullo adulto cõfertur uita æterna, nisi propter aliquod meritum.

Deus iustus iudex iustè remunerat: nullum ergo bonum irremuneratum, & nullum malũ impunitum relinquit, quare dat Deus uitã æternam ex merito.

Duplex ordo à deo institutus est ad uitã æternam, seu salutem. Primus est necessarius, & hic est obseruantia præceptorum, secundum illud: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Secũdus ordo est compendiosus, & utilis, nõ tamen necessarius, sicut obseruatio consiliorum Euangelicorum.

Resurrectionis causæ sunt nostra merita.

In

In resurrectione omnes resurgemus ad magnitudinem corporis dominici.

Beatitudo, seu uita æterna consistet in Dei uisione, fruitione & tentione.

Vita æterna nõ potest obtineri, nisi per has uirtutes theologicas, per fidem, spem, & charitatem.

Tota uis merendi uitam æternam consistit in charitate, non tamen totus effectus, quia merendi effectus consistit etiam penes magnitudinem operis.

Quòd ex condigno mereamur uitam ęternam, multæ sunt causę. Prima est efficacia doni spiritussancti cooperãtis in merito. Secunda, ueritas Dei promittentis. Tertia, persuasibilitas liberi arbitrij consentientis & finaliter perseuerantis. Quarta est difficultas status merendi. Quinta est dignitas Christi nostri capitis, interuenientis, quod glorificari debet cum suis membris. Sexta, est liberalitas Dei tribuentis, quem non decet parua reddere. Septima, obsequium sibi fideliter obtemperantis. Octaua, nobilitas operis, quod ex charitate procedit, & ideo non potest sufficienter, nisi summo bono remunerari &c.

Quoniam igitur homo meruit uel demeruit, in anima simul & corpore punietur, uel præmiabitur in utroq; unde in eisdem oportet ipsum resurgere.

In-

Inter resurgentes erit magna differẽtia, quãtum attinet ad ordinem dignitatis, nam mali resurgent difformes & passibiles, in bonis autem natura seruabitur.

Resurrectio tria corriget in natura: defectũ, sicut in pueris, & in mutilatis: superfluum, scilicet unguium &c. errorem, sicut in menstruositate membrorum.

De aureolis in vita æterna, hæc sequentia tenenda sunt:

Aureola est mentis speciale gaudium, ex opere præcellenti & priuilegiato. Sciendum est, quòd sicut ex gaudio essentialis præmij, quod quidem est aurea, redundat in corpus quidam decor, qui est gloria corporis: ita ex gaudio aureolæ resultat quoq; aliquis decor in corpus, ut sic aureola sit principaliter in mente, scilicet per quandam redundantiam fulgeat etiam in carne.

Tribus generibus hominum debetur aureola, quod patet multiplici ratione.

Primo, ex operibus excellentissimis trium animę potentiarũ. Excellentissimum autem rationalis est prædicatio ueritatis. Excellentissimum opus concupiscibilis est obseruatio castitatis uirginalis. Excellentissimum opus irascibilis est perpessio mortis, unde patet, quòd prędicatoribus, uirginibus, et martyribus debetur aureola.

Se-

Secundo patet horum numerus, & sufficientia ex hostibus, quos per pugnas magnificas uincimus, qui sunt: mũdus, caro, dæmon. Martyres enim uincunt mũdum, uirgines carnem, prædicatores diabolum, quoniam enim non solum de se, sed etiam de cordibus aliorum expellunt.

Tertio patet idem per uictoriam tripliciũ passionum: sunt enim passiones innatæ, illatæ, & in cordibus alienis, sed passiones innatas superant uirgines, illatas martyres, illas aũt, quæ sunt in alienis cordibus uincunt prędicatores.

Quarto distinguuntur aureolæ, secundũ ea, quibus Christo nobilissimè cõformamur. Christus enim fuit doctor, secundum quod ueritatem mundo manifestauit: fuit quoq; martyr, secundum quod pro mundo passionem sustinuit: fuit etiam uirgo, secundum quod puritatem seruauit.

Quinto sumuntur aureolæ secundum præfigurationem in ueteri Testamento: tria namq; habebant aureolas, sicut legitur in Exodo, scilicet altare incensi, arcam fœderis, & mensa propositionis. Prima significat aureolam martyrum, qui corpora sua super altare passionis immolauerunt. Secunda signat aureolam uirginũ qua sicut arca fœderis fuit auro intus & extra decorata, ita uirginitas mentem & corpus ornat. Tertia signat aureolam prędicatorum, qui

sicut

ſicut menſa propoſitionis miniſtrant panes doctrinæ.

Palma eſt præmium accidentale, quod nec radici, nec operi debetur, ſed uoluntati, tale premium habuit S. Martinus, eo quòd martyriũ deſiderauit, licet opus non fuerit ſubſecutum, unde cãtatur de ipſo: O ſanctiſſima anima, quã ſi gladius perſecutoris non abſtulit, tamen palmam martyrij non amiſit. Hæc autem palma, nec aurea, nec aureola dici debet.

Aureola prima debetur martyribus, in quibus perfectiſſima hiſtoria eſt de impugnatione exteriori, & hæc perfectio uictoriæ conſideratur ex duobus: Primo ~~ex magnitudine paſſionis, quia inter omnes paſſiones illatas exterius præcipuè mors tenet locum~~: præterea dolor tactus omnibus alijs doloribus præeminet, & ideo in hoc glorioſior uictoria eſt: ~~Secundo~~ conſideratur ex cauſa pugnæ, quæ ipſe Chriſtus eſt, pœna enim nõ facit martyrem, ſed cauſa, hoc eſt, mors. Sciendum, quòd martyr ſecundum hoc, quod exterius affligitur, non debetur præmium, ſed ſecundum hoc, quod uoluntariè ſuſtinet, quia ~~non meremur niſi per ea quæ in nobis ſunt, & nullo modo per ea, quæ extra nos ſunt.~~ Sicut non demeremur, niſi per ea, quæ intra nos ſunt. Quanto autem illud quod quis ſuſtinet uoluntariè, difficilius eſt uo-

luntati sustinere, tanto uoluntas quæ propter Christũ illud sustinet, ostenditur firmius in Christo fixa, & ideo excellentius ei præmium debetur &c.

2 Aureola secunda debetur uirginibus propter singularem uictoriam, quam de carne obtinent, contra quam continuè bellum geritur, quamuis autem & uiduæ pugnent contra carnem, perfectius tamen uirgines triumphant, quia nobilissimum genus uictoriæ est, hosti nũ quam cessisse. Illis uirginibus tantummodo aureola debetur, quæ propositum habuerunt, uirginitatem perpetuò cõseruandi, quamuis hoc propositum fuerit interruptum, integritate tamen carnis manente, dũmodo in fine uitę reperiantur ad primum propositum redisse, quia uirginitas mentis recuperari potest, sed non uirginitas carnis. Si autem aliqua sit uirgo carne, quæ si propositum nõ habuerit, perpetuò uirginitatem seruandi, non est tamen dubiũ, quin habitura sit speciale gaudium de incorruptione corporis super essentiale gaudium, sicut etiam innocentes de hoc gaudebunt, quòd immues à peccato fuerunt, quamuis peccandi opportunitatem non habuerunt.

Nota etiam hoc: aliqua uirgo potest corrũpi carne, nec tamen aureolam amittit, sicut illa quæ uiolenter opprimitur.

Sciendum & hoc est, quòd uirginibus debe-

tur

tur fructus cẽtesimus, & hoc quia cœlestem uitam ducunt, quæ significatur per centum, quia numerus ille de læua transit ad dexteram.

Viduis debetur fructus sexagesimus, quia tales exercere se debent in operibus misericordiæ, quæ significantur per quadraginta.

Coniugatis autem debetur fructus tricesimus, quia talibus sufficit implere decalogũ trinitatis, ex ductu enim trinarij in denarium fiũt triginta, unde uersus.

Cum sexagesimum fructum capiant uiduati,
Tricesimus dabitur uxoribus associatis.
Virgineæ dabitur centesimus integritati.

Aureola tertia est prædicatorum, quia perfectissima victoria obtinetur contra diabolum, quando aliquis non solum diabolo impugnanti non cedit, sed etiam eum de regno ipsius expellit, & non solum à se, sed etiam ab alijs.

Nemini debetur hæc aureola, nisi actu ipse prædicet, unde non habitui, sed actui pugnę debetur, sicut & Apostolus dixit: Non nisi qui legitimè certauerit.

Tot erunt etiam particularia gaudia in uita æterna, quæ quilibet habet in se, uel in alijs, quòd ea solius Dei nostri notitia comprehendit &c.

In uita futura, tantum quisque gaudebit de bono alterius, quantum de proprio.

Ex omnibus gaudijs ac præmijs uitę æternæ quædam spectant ad animam, quædam uerò ad solum corpus, quędam ad coniunctum, quę tamen felici fine quisq; beatus secundum merita recipiat sine fine, Nota & hos uersus de aureolis.

Aureolam martyr, doctor, uirgoq; meretur.
Fructus centenus sexagenusq; tricenus
Virginibus, uiduis & coniugibus tribuetur.

Beatitudo est operatio ultima, & perfectio.

Beatitudo est uita æterna, non quidem esse, sed operatio.

Tota essentia beatitudinis, est uita æterna.

Beatitudo habet rationem præmij.

In uita contemplatiua plures fiunt beati, q̃ in uita actiua.

Actus intellectus speculatiui, sunt propinquiores ultimæ beatitudini, secundum similitudinem, q̃ actus intellectus practici, sed è cõuerso secundum præparationem animi & meriti.

Essentia beatitudinis cõsistit in actu intellectus, sed delectatio eius in uoluntate.

Homo appetendo beatitudinem, potest mereri eam.

Dignitas beatorũ in anima & in corpore, est secundum gradus meritorum.

Gaudiũ beatorũ potest augeri, usq; ad diem iudicij. Resurrectio probabiliter loquẽdo, erit in crepusculo, sole existente in Oriente, & luna in

in Occidente, sicut fuerunt creati.

Omnes resurgentes cognoscent omnia, & singula peccata, & merita propria & aliena, in breui tempore, uirtute Dei, & tamen beati non dolebunt, nec erubescent etiam de suis peccatis &c.

Partes essentiales & organicæ resurgent in eodem situ, quo prius, non autem partes materiales, nec accidentales.

Totũ quod materialiter fuit in homine, quo ad totalitatem speciei, resurget, nõ autem quo ad totalitatem materiæ.

Vnumquodq; resurget in eo, in quo magis participat uirtutem speciei, & si æqualiter, tũc resurget in eo, in quo antea fuit, sicut in nutrito carnibus humanis, & Deus supplebit in alio aliunde, ut in pueris.

Semen resurget in genito tantũ, non in generante, de cuius perfectione non fuit.

Qẽs resurgent in ætate iuuenili, non quo ad numerum annorum, sed quo ad staturam.

Non omnes resurgent in ęquali quantitate, sed in quantã peruenissent, natura nõ errãte remoto superfluo, ut in gigantibus, & suppleto defectu, ut in nanis.

Natura mortalitatis nõ auferetur â resurgentibus, sed erunt eiusdem speciei sicut nunc.

Corpora sanctorum post resurrectionem erunt impassibilia propriè, ex domino animę su

pra corpus, & magis in magis beatis, & nõ natura quinti corporis, sicut quidam dicũt, quia corpus quintum non uenit materialiter ad cõpositionẽ corporis humani. Et impossibile est dicere, ꝙ aliqua uirtus corporis cœlestis transferat corpus humanum ad proprietatem gloriæ, qualis est impossibilitas corporis gloriosi cum immutatione corporis humani.

DE ORATIONE.

Oratio ex opere operato, meretur exauditionem, iustitiam, & res alias.

Oratio potest ligari ad certas circũstantias.

Oratio cum dubitatione impetrat exauditionem.

Orare etiam licet, quando nullam habemus necessitatem.

Præceptum Dei est, orare pro mortuis.

Speciales orationes applicatæ uni personę, per prælatos, uel etiam religiosos, plus prosunt eidem, quàm generales, etiam non paribus cæteris.

Infidelitas est, orare pro eo, de quo certi sumus, quòd in cœlo est, sicut & iniuriã facit martyri, qui orat pro eo.

Etiam pro damnatis orandum est, quia latro in morte pœnituit, sed non publicè, uerum in secreto.

Pro

Pro omnibus regeneratis debet fieri oratio sed non publicè propter scandalum.

Si inueniatur mortuus subitò, qui prius fuit bonæ ac honestæ uitæ, in publico oratio pro eo fieri debet, quoniam iustus, & si repentina morte præoccupatus fuerit, erit tamen in refrigerio &c.

Pro hæreticis, paganis, & Iudæis mortuis non est orandum.

Oratio est duplex: altera publica conueniens alicui ex officio: altera priuata conueniens alicui ex merito uitæ. Primo modo oratio boni laici, non est efficacior, quàm mali sacerdotis, quia hic ex officio orat in persona totius ecclesiæ &c.

Oratio capitur tripliciter, propriè, communiter, & cõmunissime. Proprie oratio est assensus ad deum, ad aliquid degustandum, impetrandum, uel exoluendum. Communiter oratio dicitur, secundum quod comprehendit omnẽ actum contemplatiue ad deum relatum. Cõmunissime, secundum quod comprehendit omnem bonum actum, secundũ quod dicitur: Nõ cessat orare, qui non cessat benefacere.

Quam diu homo est in peccato, non potest orare.

Orationes peccatorum nihil ualent ex opere operantis, licet tamen ualeant ex opere operato.

Orare angelos, sanctos, beatos, & gloriosam uirginem non possumus, sed petere aliquid ab eis possumus.

Oratio est actus potentiæ, item est actus uoluntatis, secundum alios actus intellectus.

Clerici iure diuino & humano tenẽtur ad horas canonicas persoluendas.

Horis & temporibus cõstitutis orandũ est.

Intentio requiritur ad orationem, modo debeat esse meritoria.

Vt oratio sit meritoria, satisfactoria, liberatoria, seu acquietatiua, requiritur, quòd eius attentio sit intenta.

Oratio ut sit exaudibilis, hæ conditiones requiruntur, ut orans humiliter & frequenter oret, bonaque intentione, oret discretè, piè ad salutem, perseueranter, iustè, pro propria salute &c.

Non sequitur, quòd hæc oratio sit stulta & ociosa, qua quis aliquid orat, quod tamen scit se non impetraturum.

In nullo loco melius oratur, quàm in ecclesijs consecratis.

Orationis effectus tres sunt potissimi: Primus communis est omnibus actibus charitate informatis, qui est mereri. Secundus est impetrare, quod petitur. Tertius est spiritualis refectio mentis. Quartus hic addi potest, qui est solutio debiti, ad quod orans tenetur.

Ora

Oratio est actus rationis practicæ.

Fundamentum orationis est uel fletus.

Oratio est in præcepto religionis, quo ad ipsum petere, sed quoad rectè aliquid desiderare, cadit sub præcepto charitatis.

Oratio est in præcepto determinato ad horas canonicas.

Tria faciunt orationem cõmendatam Deo: eleuatio mentis in Deum, continuatio & lachrymæ.

Oratio mentaliter potest fieri in omni loco, sed non uocaliter.

Tria faciunt orationem esse exaudibilem: bonitas dei, suffragia sanctorum, & meritum proprium.

Effectus orationis sunt duo: expulsio tristitiæ, & augmentum spei.

Valor charitatis duplex est, ad impetrandũ, & ad merendum. Et cæteris paribus, primus est maior orando pro se, quàm pro alio, secundus autem secundum maiorem charitatem.

Aliàs effectus orationis triplex est: meritũ, impetratio, & spiritualis refectio mentis.

Orationes fiunt in horis Canonicis, ad salutem ecclesiæ, ut ira Dei auertatur à populo &c.

Licet unus homo impetret alteri uitam æternam oratione, nunquam tamen hoc fit, nisi mediantibus aliquot proprijs operibus illius.

Oatio uocalis uel mentalis est satisfactoria,

si fit in charitate, quia utramq; pœnam habet, & utraq; est medicina.

Meritum orationis exigitur ad supplendum defectum aliorũ meritorum nostrorum, quæ non sufficerent sine oratione.

Oratio principaliter innititur charitati, quo ad efficaciam merendi.

Qui non attendit uel intelligit orationem, habet quidem meritum, non autem consolationem.

Sancti in patria orant pro nobis, non autem pro se.

Orans deuote sanctos, fit dignus: scilicet, ut sancti orent pro eo.

Ad sanctos non fit oratio, quæ propriè fit ad Deum, sed deprecatio.

Oratio soli Deo porrigitur, ut per eum implenda, sanctis uerò, & angelis, & hominibus, ut per eos impetranda suis meritis ac precibus, & non ut Deus eas per eos cognoscat.

Oratio non debet fieri ad sanctos, qui sunt in purgatorio, uel in hoc mundo, sed tantum supplicatio & petitio.

Sancti debent interpellari, ut orent pro nobis.

Vtile est orare sanctos quintuplici ratione, licet superiores sint plus accepti Deo, primum scilicet ex hoc, quod aliquis quandoq; maiorẽ habet deuotionem, ad sanctum minorẽ, quãm

ad

ad sanctum maiorem. Ex deuotione autem maximè dependet orationis effectus. Secundo propter fastidium tollendum, quia assiduitas unius rei fastidium parit. Et per hoc diuersos sanctos oramus, quasi in singulis nouus feruor excitatur. Tertio, quia quibusdam sanctis datum est in aliquibus specialibus causis pręcipuè patrocinari, sicut S. Anthonio ad ignem infernalem. Quarto, ut omnibus honor debitus exhibeatur à nobis. Quinto, quia plurium orationibus aliquando impetratur, quod unius oratione non impetraretur &c.

Sancti orant nominibus proprijs propter tria, quia hoc meruerunt, plus nobis innotescunt, & propter fidem resurrectionis insinuandam.

Sancti cognoscunt in uerbo orationes nostras etiam mentales, sicut & omnia alia, quæ ad nos pertinent.

Sancti orant pro nobis dupliciter: expresse & interpretatiue.

Sancti orantes pro nobis, semper exaudiuntur, quandoque ex casu nostri impediuntur ab exauditione.

Pro damnatis, beatis, & pueris in limbo, nõ est orandum.

Orationes factę pro paruulis baptizatis defunctis, non sunt suffragia, sed gratiarum actiones.

Oratio

Oratio dominica ualet ad remissionem culpæ uenialis & mortalis peccati, ex opere operato.

DE MAGISTRATV.

Magistratus duplex est, ecclesiasticus & ciuilis.

Magistratus ciuilis non prius locum habet apud ecclesiasticas personas, nisi quando uocetur.

1. Fidei derogat, ubi Clerici se subdunt ciuili magistratui.

2. Quicquid habet ciuilis magistratus, ab ecclesia habet: ergo ecclesiasticus magistratus potior est ciuili.

Non est de officio ciuilis magistratus, curare sacra, aut se rebus sacris immiscere.

Vide infrà locum de Papa & primatu eius, ubi uidebis, quàm nihil sit ciuilis magistratus, respectu ecclesiastici.

DE MATRIMONIO.

Matrimonium est status particularis, à quo exempti sunt Clerici.

1. 1. Matrimonium honesta res est: ergo inscijs parentibus & cognatis, matrimonium contrahere licet.

2. 2. Omnes nascimur liberi: ergo clancularia matrimonia contrahi possunt sine cõsensu parentum. Infra 162. a.

Filij

Filij absq; parentum uoluntate in monasterium se dare possunt: ergo & sine parentum cõsensu contrahere. 3.

Nuptię inter cognatos & affines in septimũ usq; gradum prohibitæ sunt.

Inter compatres non est contrahendum matrimonium, nec inter liberos illorum, neque inter alias personas quæ ex ratione compaternitatis coniunguntur.

Votum monasticum aut clericum impedit â matrimonio.

Matrimonium est sacramentum diuinitus institutum.

Cognatio spiritualis impedit matrimonium.

Mũlier uiro debitum coniugale petenti bono iure potest denegare.

Matrimonium non potest dirimi, si alter cõiugum, matrimonio nondum consumato, monasterium ingrediatur.

Sponsalia priora dirimuntur, si posterius spõsam secundam cognouerit.

Ordo impedit matrimonium, & dirimit cõtractum.

Non licet sacerdoti aut episcopo ducere nec primam, nec secundam, nec tertiam uxorem &cæt.

l. Olim nascentes homines secum attulerunt sexum, nunc non afferunt.

Olim

Olim secum attulerunt ius naturale nascentes in contrahendo matrimonio, nunc non afferunt.

Matrimonium non placet Deo, nisi propter procreationem prolis.

Omnia sacramenta post peccatum cœperunt, excepto matrimonio, quod ante peccatum cœpit, non ad remedium, sed ad seruitutem.

Paulus ait ad Ephesios 5. Hoc sacramentum magnum est &c. ergo matrimonium est sacramentum.

Secundæ nuptiæ non sunt benedicendæ à sacerdote, quia Christus in secundis nuptijs nõ ita significatur atq; in primis.

Matrimonium duæ personæ inter se contrahere possunt, quæ etiam non habent uoluntatem coeundi, & qui nunquam cõmiscentur per totam uitam, idque exemplo Mariæ & Ioseph.

Coitus in matrimonio nõ est peccatum mortale, sed tantum ueniale.

Et hoc legitimum matrimonium est, quod duæ personæ tantum propter mutua officia inter se contrahunt, etsi commixtio carnalis nunquam sequatur.

Matrimonium est sacramentum, ex opere operato conferens gratiam &c.

Ma-

Matrimonium ethnicorum est quidem legittimum, sed non est sacramentum, neq; uotum, quasi illos separare non liceat.

Hæresis potest dirimere matrimonium.

Matrimonium sub nouo Testamento, excellit matrimonium ueteris Testamenti, idq; ex uirtute sacramentali.

Sacramenta dicuntur, quia conferunt gratiam.

Matrimonium est sacramentum: ergo matrimonium confert gratiam.

Ad Ephesios 5. Hoc sacramentum magnum est: ergo matrimonium est sacramentum conferens gratiam. Multis ibi docet Apostolus matrimonium & esse sacramentum, & conferre gratiam.

Paulus matrimonium magnum sacramentum uocat, quia confert res magnas, ueluti gratiam, iustitiam &c.

Ad Ephesi. 5. non est legendum: Hoc mysterium magnum est, sed hoc est magnum sacramentum.

Error est dicere, matrimonium non esse uniuoce sacramentum cum alijs.

Omne remedium contra peccatum in Euangelio est sacramentum. Matrimonium est remedium cõtra peccatum: ergo matrimonium est sacramentum conferens gratiam.

Non

Non nocet reiterare ſacramentum matrimonij, quia non imprimit characterem, ideo propter reiterabilitatem non debet excludi à ratione ſacramenti.

✠ Apoſtolus ait ad Hebr. cap. 13. Honorabile eſt coniugium, & cubile impollutum: ergo matrimonium eſt ſacramentum conferens gratiam.

✠ Priore ad Timoth. 2. Ipſa tamen ſalua fit per generationem liberorum &c. ergo matrimonium eſt ſacramentum ex opere operato conferens gratiam.

Matrimonium eſt ſacramentum ſanctificans homines: ergo confert ex opere operato gratiam.

✠ Priore ad Corinth. 7. Si quis frater uxorem habet infidelem &c. Sanctificatus eſt enim maritus: ergo ſacramentum matrimonij confert ex ſua uirtute gratiam.

✠ Deus benedixit Adæ & Heuæ, qua benedictione, ſine dubio impreſſa fuit animabus illorum ſignum gratiæ: ergo matrimonium confert gratiam.

✠ Chriſtus Mathæi 19. libellum repudij abſtulis, cur ergo idem non ſingulari gratia dotaſſet matrimonium.

✠ Item Chriſtus ſua præſentia & inſigni miraculo ornauit nuptias, Ioann. 2. ergo extra dubium eſt quòd idem donarit matrimonij gratia.

Hæc

Hęc est enim uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis à scortatione, & sciat unusquisq; uas suum possidere cum sanctificatione & honore: ergo matrimonium ex se confert gratiam.

Diuortium secundum omnia iura, sub nouo testamento, nihil est aliud, quàm separatio à lecto & à mensa. 1.

Christus ait Mathęi 19. Quicunq; dimiserit suam uxorem, non dicit: quicunq; repudiauerit: ergo personas, quæ contraxerunt matrimonialiter, non licet, nisi à lecto & mensa separare. 2.

Dimissione uxoris nō tollitur uinculum matrimonij, sed cohabitatio tantum. 3

Matrimonium tempore Euangelij coram Deo & ecclesia legittimè contractum, non soluitur auctoritate iudicis aut ullius hominis, adsit etiam ipsum stuprum, sed indissolubile manet, donec uita contractorum maneat, interim separatio à lecto & mensa fieri potest. Consentiunt sequentes scripturæ loci. 4

Matthæi 19. Quod Deus coniunxit, homo ne separet.

Genes. 2. Et erunt duo in carne una &c.

Ad Roman. 5. Vxor alligatur marito, donec uiuit.

Mathæi 19. An non legistis, quòd is, qui fecit ab initio &c.

Priore ad Cor. 7. Vxor à uiro ne separetur, quod si separata fuerit, maneat innupta, aut reconcilietur marito &c.

Ad Ephe. 5. & ad Colloss. 3. Vxores obedite maritis uestris, tanquam Domino &c.

Priore ad Corinth. 7. Vxor proprij corporis ius non habet &c.

Etsi in matrimonio ~~coniunctæ~~ personæ separentur ~~à lecto & mensa, tamen utraque~~ persona ~~ius suum retinet in corpus alterius, unde dictum scholasticorum: Habent~~ ius sopitum, sed non extinctum.

Sic separare illas personas, quæ inierunt legittime Matrimonium, ut ex causa stupri liceat innocenti denuo contrahere cum altera, contra Deum est, contra Christum, contra Apostolum, contra scripturam, contra iura ciuilia &c.

In casu incestus, ueluti si quis sororem uxoris suæ, aut socrum suam, aut alio quopiam gradu consanguinitatis contingentem, polluerit, reus mox à iure exigendi debiti matrimonialis arcendus est, non tamen uxoris thorum deserere debet. Ius non exigendi debitum matrimoniale, satisfactio est pro peccato.

Matrimonium fit ~~coniunctione animorum,~~ quę fit prolatione de præsenti, utpote. Ego accipio te in meam; & ego accipio te in meum.

Ma-

Matrimonium dicitur nuptię, eò quòd nubentium capita uelentur.

Ad ſolemnitatem & decorum matrimonij requiritur conſenſus parentum, non quia eſt de matrimonij eſſentia. Inf. 158. b.

Matrimonium fieri non poteſt, niſi cor conſentiat, conſenſu enim ficto nunquam contrahitur matrimonium. Nov.

Ad contrahendum matrimonium non eſt neceſſarius conſenſus in carnalem copulā explicitè.

Ratum eſt matrimonium ſine carnali copula.

Parentes poſſunt pro liberis contrahere, etſi liberi non exprimant ſigna propria, modo ſint præſentes.

Etſi coitus non poteſt per omnia à peccato excuſari, tamen quando fit prolis procreandæ gratia, excuſatur à peccato mortali. Inf. 159. b.

Actus ille quum fit cauſa reddendi debiti, & non intendit prolem, tunc nec eſt peccatum mortale, nec ueniale. Inf. 164. b.

Effectus matrimonij eſt gratia in animabus contrahentium.

Matrimonium dupliciter poteſt diſſolui, aut quantum ad thorum, aut quantum ad uinculum. Primo modo poteſt diſſolui per mutuū diſſenſum, ſi enim ambo diſſentiunt à carnali

copula, possunt concorditer facere continentiæ uotum, quo facto, unus alteri non tenetur obedire, quantum ad carnalem copulam. Debet autem hoc uotum fieri, antequam accedat carnalis copula.

Ex mutuo consensu dissolui potest matrimonium, quantum ad thorum, per religionis ingressum, altero etiam remanente in sœculo, si non sit suspectus de incontinentia, ita tamen quòd uotum castitatis emittat, antequam alter profiteatur.

Impedit matrimonium error personæ & cõditionis.

Matrimonij duodecim sunt impedimenta, quæ his uersibus exprimuntur.

Error, conditio, uotum, cognatio, crimen,
Cultus, disparitas, uis, ordo, ligamen, honestas,
Si sit affinis, si forte coire nequibit,
Hæc socianda uetant, connubia iuncta retractant.

Error significat errorem personæ. Conditio seruitutem. Votum continentiæ solenne, priuatum enim etsi impediat Matrimonium contrahendum, tamen non dirimit contractum. Cognatio triplex, quædam carnalis, quædam spiritualis, quædam legalis. Cultus disparitas, puta quando de duobus cõiugibus infi-

infidelibus unus conuertitur ad fidem Christianam, alio perseuerante in sua infidelitate, tũc fidelis potest contrahere matrimonium de nouo cum persona fideli, & dissoluitur primum matrimonium. Vis & uiolentia, & coactio, coactione autem absoluta non impeditur matrimonium contractum, quia ~~consensus hominis non potest absolutè cogi~~, coactio uerò cõditionata pro ut inducit metum cadentem in constantem uirum, impedit matrimonium, & quantum ad iudicium Dei & ecclesię. Coactio uerò leuis & leni motu proueniens, non impedit matrimonium, quia talis coactio, potius non debet dici coactio. ~~Prohibet quoq; ordo,~~ non quilibet, sed sacer ordo prohibet contrahendum, & dirimit contractum. Et ex eo maiores ordines impediunt matrimonium, quod talis deputatur hos habens, ministerio sacro, quod requirit munditiam mentis & carnis, perspicacitatem intellectus, & feruorem adfectus, ad quę disposuit continentia, & ad eorum opposita frequentia carnalis actus. Item ligamẽ impedit, puta si habet legittimam uxorem uiuentem, & si cum alia contrahit, non tenet matrimonium, quia ~~de iure naturali debet una esse unius uxor~~. Item honestas, id est, publicæ honestatis iustitia. Impedit & affinitas. Item impotentia coeundi, quando non uales carnalem copulam exercere. Ex his quædam impedi-

menta rectè uocantur impedimenta, reliqua qualia sint, res ipsa indicat, nimirum figmenta scholastica.

Impotentia quando sequitur matrimonium consumatum, non dirimit, quia tunc potestas est tradita uerè, & ille cui sit tradita missus fuit in possessionem.

Impedit & furia matrimonium contrahendum, & hoc si contrahit tempore, quo uacat ipse usu rationis, nec lucida habet interualla, & existit in furia, Si enim contrahit tempore, quo habet lucida interualla, tunc matrimonium tenet, quia illo tempore consentire potest.

Et incestus dirimit matrimonium, incestus uerō dupliciter considerari potest, uno modo ratione criminis, quo incestuosus inficitur, & sic prohibet matrimonium contrahendum, licet non dirimat contra huiusmodi prohibitionem contractum.

Tria sunt crimina quę prohibent matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum. Primum, si adulter procurat mortem uxoris legittimæ, ea intentione, ut contrahat matrimonium cum adultera, & è contra. Secundum crimen est, si adulter uiuente uxore sua, dat fidem adulteræ de Matrimonio contrahendo cum ea post mortem uxoris suæ, uel post mortem mariti ipsius adulteræ. Tertium est

est crimen, si adulter cum adultera de facto contraxit matrimonium per uerba de presenti uiuente uxore ipsius adulteri, uel uiuente marito ipsius adulteræ, istæ duæ personæ nunquam possunt habere uerum matrimonium, etiam post mortem suorum coniugum.

Septem sunt crimina quæ prohibent matrimonium contrahendum, sed non dirimunt contractum. Primum est incestus. Secundum est raptus sponsę, puta si aliquis rapit uiolenter mulierem alteri desponsatam. Tertium est uxoricidium, puta qui uxorem suam occidit ductus zelo uindictæ, iracundia, uel inuidia. Quartum est susceptio propriæ sobolis de fonte baptismi in fraudem matrimonij, ne postea teneretur reddere coniugale debitum propter cognationem spiritualem. Quintum est occisio presbyteri. Sextum est crimen propter quod aliquis sustinuit solemnē pœnitentiam, postquam enim alicui pro suo crimine iniuncta est solemnis pœnitentia, ille deinceps non debet contrahere matrimonium. Septimum si quis scienter accipit monialem in uxorem.

Metus quoque cadens in constantem uirum impedit matrimonium.

Matrimonium in ueteri lege, fuit tantum officium naturę, non sacramentum coniunctionis Christi & ecclesiæ.

Quando mulier ſecundo nubit, nuptiæ non ſunt benedicendæ, propter defectum ſacramenti.

In matrimonio actus exteriores tantũ ſunt ſacramentum.

Matrimonij ſacramentum diſpoſitiue operatur ad gratiam.

Conſenſus expreſſus per uerba de futuro, non facit matrimonium, ſed per uerba de preſenti.

Copula carnalis cum conſenſu per uerba de futuro, facit matrimonium in foro eccleſiæ, nõ autem in foro conſcientiæ.

Conſenſus per uerba de præſenti, licet in occulto, tamen facit matrimonium.

Matrimonium magis ſubiacet ſtatutis eccleſiæ, quàm alia ſacramenta, nam matrimonium non tantum eſt ſacramentum, ſed etiam contractus eccleſiæ.

Neuter coniugum tenetur immediate reddere debitum, ſed dantur duo menſes, ad deliberandum de religione, & ne uilem habeat cõiugem.

1. Actus matrimonij ſemper eſt peccatum, ſi non mortale, ſaltem ueniale.

2. Actus matrimonij propter uitandam fornicationem, eſt peccatum ueniale.

3. Actus matrimonij propter ſanitatẽ eſt peccatum.

Matri-

Matrimonium non imprimit characterem, sed conuenit cum imprimentibus cum ratione inseparabilitatis, & potestatis corporalis, non autem spiritualis.

4. Matrimonium impedit in multis perfectionem spiritualis uitæ.

5. Per matrimonium tollitur turpitudo culpę remanente turpitudine pœnæ.

Ecclesia tripliciter se habet ad matrimoniũ: statuendo, puniendo, & iudicando.

Impedimenta, quæ tantum impediunt matrimonium, duo sunt: prohibitio Ecclesiæ, & tẽpus feriarum.

Ecclesia dat triennium ad expediendum efficaciter, si impedimentum impotentiæ sit perpetuum.

Frigiditas, & quælibet impotentia et seruitus, ignoratæ impediunt matrimonium, non autem scitę.

Matrimonium infidelium non est omnino firmum.

Infidelitas impedit nunc matrimonium contrahendum cum fideli, & dirimit contractum, si præcedit.

Matrimonium ante carnalem copulam est tantum spirituale uinculũ, igitur soluitur per ingressum religionis, quæ est mors spiritualis, quia moriens seculo uiuit Deo. Non tamen intelligitur mortuus seculo ante professionem,

sed post professionem factam,

Non licet celebrare nuptias ab Aduentu usque ad octauam Epiphaniæ, à septuagesima usque ad octauā Paschæ, & à tribus diebus anteascensionem usq; ad octauam Pentecostes.

DE HVMANIS TRAditionibus & ceremonijs in ecclesia.

Humanæ traditiones in Ecclesia institutæ, sunt pars cultus Dei.

Humanæ traditiones & ceremoniæ in Ecclesia, sub eadem pœna & pari præmio seruari debent, atq; præcepta Dei.

De humanis traditionibus in Ecclesia nō est quærendum, quam originem habeant.

In potestate Papæ est, condere humanas traditiones similes præceptis Dei.

Humanę traditiones & ceremoniæ in Ecclesia seruatę, promerentur iustitiam, gratiam, remissionem peccatorum &c.

Seruiunt humanæ traditiones in Ecclesia ad placandum Deum.

Humanę traditiones in ecclesia, nō possunt aliæ atq; aliæ esse in diuersis locis.

Humanę traditiones usu & consuetudine approbatæ loco eloquiorum Dei colendæ et habendæ sunt.

Scri-

Scriptura tantum damnat Mosaicas traditiones, ut res ad salutem inutiles.

Ceremonię & traditiones ecclesiæ, pro articulis fidei habendę sunt, immutabiles, & solius pontificis autoritate, & potestate pendentes.

Humanæ constitutiones, quas præsides ecclesiæ faciunt, seruiunt ad honorem Dei, & fidelium emendationem, quæ et si in propria forma in sacris literis non reperiantur, sunt tamen alligatoriæ in foro conscientię, ut qui has contempserit, Christum contemnat.

Non peccant, qui etiam frigidè legunt horas Canonicas. ~~Siquidem omnia spectãt ad cultum Dei.~~

Ceremonię & traditiões Ecclesię illustrant libertatem & uim Euangelij.

Institutiones Dei sunt: unctiones, tonsuræ, uestes ceremoniosę, benedictiones aquę, palmarum, candelarũ, herbarum, consecrationes ecclesiarum, altarium, uasorum, hominum &c.

Constitutiones ecclesię obligant per se conscientiam, sicut & ordinationes Apostolorum.

Humanę traditiones institutæ sunt ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis.

Peccatum est, discrimina ciborum, dierũ, uestitus, & similium rerum negligere.

Horas Canonicas omittere, est peccatum mortale, sicut etiam mortale peccatum est, alias tra-

as traditiones Ecclesiæ transgredi.

Necesse est, & pertinet ad ueram unitatem Ecclesiæ, humanas traditiones esse ubiq; similes & ęquales.

Humanæ traditiones duplices sunt: uniuersales & particulares. Vniuersales oportet ubique esse similes, particulares non oportet ubiq; similes esse.

Varias oportet esse traditiones, ut magna uarietate colatur Deus.

Humanæ traditiones sunt pars cultus Dei ad iustitiam necessariæ.

Obseruatione traditionum in Ecclesia, meremur remissionem peccatorum & gratiam.

Iustificati, per traditiones meremur gratiã.

Vniuersales traditiones necessarię sunt ad iustificationem.

Aqua benedicta non est per se sacramentum gratiæ diuinæ, aut quod sanctificat, sed est signum prouocans animum hominis ad remissionem uenialium peccatorum, & ad abigẽdam diaboli tentationem.

Aqua benedicta in usu fuit apud ueteres ante mille & quadringentos annos. Eccius.

Alexander Papa quartus, Petri successor inquit: Aquam sale consperſam, benedicimus populo, ut per illam consperſus, sanctificetur, & purgetur, id quod & faciendum omnibus presbyteris mandamus.

Quõd

Quòd si sanguis hircorum & uitulorum potuit sanctificare populum, multo magis aquæ benedicta potest, quæ sacris orationibus consecrata est.

1. Intermissio horarum Canonicarum, ferè irremissibile est peccatum. Sq. 166.

2. Charitatis opera non licet semper præponere horis canonicis.

3. Exemplo S. Seuerini certum est, horas canonicas, nec anteuerti, nec post cõpleri sine peccato posse, etiam si subsit iustissima causa.

Ecclesia in toto orbe obseruat ritus Ecclesiasticos, traditiones, obseruationes, ceremonias &c. pro diuino cultu.

Pulchra ceremonia est, aquam sale exorcizare, quia conducit ad uarios usus fidelium.

Consignare & benedicere fontem baptismi non solum utiles sunt, & pię conditiones.

Confirmatos & ordinatos in sacerdotes & episcopos, inungere sacro chrismate aut oleo, ualde mystica est ceremonia.

Ceremoniæ sunt opera exteriora ad cultum Dei pertinentia.

Ceremoniæ ueteris Testamenti, non contulerunt gratiam ex opere operato, sed ceremoniæ noui Testamenti gratiam ex opere operato conferunt.

Determinationes Ecclesiæ, quæ à spiritusancto regi dicitur, quoq; spectant ad legem diuinam

nam, sicut & leges seu traditiones specialiter inspiratę & reuelatę singularibus quibusdam personis pro se, aut pro paucis ad hoc electis.

Non minorem potestatem statuendi ceremonias & traditiones habet hodie Ecclesia, q̃ tempore Apostolorum.

Potest Ecclesia concedere ceremonias & traditiones, in rebus pertinentibus ad cultum diuinum.

Ceremoniæ ecclesię sunt opera exteriora ad cultum Dei pertinentia.

Omnes ceremonię sunt quędam protestationes fidei.

DE HAERETICIS.

Hęreticis nõ est seruandus saluus cõductus.

Scriptum est ad Titum: Hęreticum post unã aut alteram admonitionem deuita: ergo extremo supplicio puniendi sunt hęretici.

Quidam hęretici respectiuè sunt hęretici, quidam ceronei, quidam scandalosi.

Lata sententia damnationis in Concilio cõtra hæreses, libri hæreticorum comburendi sunt, exemplo eorũ, qui teste sacrosancta scriptura, Diuo Paulo citra controuersiam, uenientes, & confitentes actus suos, contulerunt eos libros &c.

Nec solum libri hæreticorum comburi debent,

bent, sed etiam ipsi hæretici librorum autores.

Sicut enim Nadab et Abihu filij Aaronis, de quibus in Leuiticis libris, deuorati sunt igni coramq; domino mortui fuerunt, eo quòd acceptis thuribulis, imposuerunt ignem, & incensum, & desuper offerentes corã domino ignẽ alienum, quod eis præceptum nõ erat: Sic hæretici rectè consumuntur igne, exuruntúrque, quoniam alienum ignem, cupiditatis uidelicet prauæq; doctrinæ in Ecclesia catholica succedunt, quicq; scripturam contra spiritussancti, rationis, & naturæ normam & sententiam secus quãm oportet retorquentes, perperam interpretantur, peccantes cõtra uerum & diuinum sancti spiritus ignem, qui charitatis est erga Deum & hominem.

Hæresis ratione pertinaciæ est species peccati in spiritum sanctum.

Error in fide non est ideo hęresis, quia ab ecclesia damnatus est, sed quia fidei contrarius.

Nulla hæresis noua est.

Hæresis dupliciter accipi potest, uel pro habitu, uel actu assentiendi falso, uel pro obiecto quod est propositio falsa, seu articulus falsus.

Determinatio summi pontificis declarat, & definit, quid nam sit hæresis, aut quid hæreticum &c.

In commune octo sunt uiæ contra hæreses, quibus conuincuntur & reprobantur.

Pro

Pronunciatio prophetica, scripturarum concordia, autoritas scribentium, diligentia recipientium, rationabilitas contentorum, irrationabilitas singulorum errorum, Ecclesiæ stabilitas, miraculorum claritas.

Hæreses plerunq; inde oriuntur, uel ex odio, uel ex zelo non secundum scientiam, cum homines tali zelo imbuti, discolos scholasticorũ mores intuentur magis detestando cum indignatione, quàm miserando cum pia oratione, & modesta redargutione.

Pœna hæretici est, qui manifestè in hæresi deprehensus est, nisi mox Ecclesię arbitrio satisfaciat, si sit laicus, statim: si sit ~~clericus, prius à suis ordinibus degradatus, debet~~ exponi iustitię seculari, ~~animaduersiõe debita~~ puniendi, ne ouis morbida inficiat totum gregem.

Hæreticus post pœnitentiam & abiurationem, in eam quã abiurauerat, hęresin relapsus, tamen sine ulla audientia curiæ seculari exterminandus relinquitur, quia si quoties reuerteretur, conseruaretur in fide, uita, & alijs bonis temporalibus, alij ~~securius in hęresin relaberentur, faciliusque infici posset tota multitudo, quod diligenter cauendum est.~~

~~Omnis hæreticus~~ est de iure excommunicatus, & eius fautores, & defensores.

Mortuus hæreticus potest excommunicari, cuius hæresis primum post mortem suam deprehen-

prehensa est, puta in scriptis suis hic derelictis.

Per quam liber hæresin corrumpitur fides infusa, alioqui idem esset fidelis & hæreticus.

Nullum peccatũ repugnat fidei, nisi hęresis.

Quòd aliqua opinio hæretica sit, requiruntur præcipuè tria. Primũ est falsa credulitas in rationali, quod est, quòd erret in articulis fidei & eius sacramentis, scilicet baptismo, eucharistia & alijs. Vnde ista falsa credulitas contra fidem est dupliciter: primo directè, & principaliter, & sic omne illud, quod est contra articulos fidei & falsæ credulitatis: secundo indirectè & secundariò, sicut est dogma peruersum, uel expositio extorta in scripturis diuinis, ex quibus sequitur corruptio alicuius articuli fidei, uel determinationis Ecclesiæ, uel huiuscemodi. Secundo requiritur peruersa uoluntas in concupiscibili, ex qua uult temere & contra Ecclesiam. Tertio requiritur defensionis uel assertionis, aut etiam impugnationis pertinacitas ex parte irascibilis, scilicet, quòd pertinaciter hoc teneat, quia si quis erret uel in fide, uel in alijs prædictis: si tamen paratus est corrigi, non est hæreticus.

Hæresis nullo modo est celanda in confessione, sed confessa publicanda & manifestanda, unde uersus:

Est hæresis crimen, quod nec confessio celat &c.

Y.

Hæresis ratione pertinaciæ est peccatum in spiritum sanctum.

Hæresis principaliter est circa articulos fidei, secundario autem circa ea omnia, quę in ecclesia ex illis deriuantur, aut quę illis adduntur.

Hæresim incurrit, quicunq; resistit autoritati Romanæ Ecclesiæ.

Hæretici non possunt absoluere, quia nō habent iurisdictionem, nec dant gratiam.

Firmi in fide corpore quidem possunt conuersari cum hæreticis, sed non in diuinis.

Hæretici post unam aut alteram admonitionem, ab ecclesia traduntur iudicio seculari.

DE ANIMA.

Anima intellectiua est forma substantialis hominis. Anima mutabilis est.

In homine anima intellectiua & sensitiua, & uegetatiua sunt idem in substantia, licet habeāt diuersas rationes.

Potentiæ animę non distinguūtur ab anima.

In potentijs animæ potest poni imago trinitatis, licet imperfectè.

Anima dicitur, dū uegetat, spiritus dū contemplatur, sensus dum sentit, animus dum sapit prudenter, mens dum intelligit, ratio dum discernit, memoria dum recordatur, uoluntas dum consentit.

Anima

Anima est separata persona, ut angelus.

Animam esse gratam uel charam, uel acceptam deo, nihil aliud est, cꝫ animam esse in tali statu, in quo, nisi per mortale peccatũ delinquat, deus uult ei dare uitam æternam.

Anima dupliciter polluitur: aut macula mortalis peccati, quæ quidem expellit nitorem gratiæ: aut macula uenialis peccati, quę quodammodo retardat actum dilectionis gratuitæ. Et prima pollutio est per mortale peccatũ, & facit ad deformitatem imaginis, quia aufert ei formam secundum imaginem recreationis. Secunda uerò est pollutio uenialis, quæ et si aliquo modo polluat, non tamen omnimode format.

In anima Christi triplex cognitio est, sicut et in quolibet beato. Cognitio siue scientia rerum in uerbo, cognitio rerum infusa, & cognitio rerum acquisita.

Animabus post mortem non assignantur aliqua corpora, quorum sint formæ, uel determinati motores, sed aliqua corporalia loca secundum congruentiam, & secundum gradus dignitatis earum.

Anima separata à corpore statim habet locũ immobilem.

Anima statim post mortem uadit ad paradisum, purgatorium, uel infernum. Animæ existentes in purgatorio, habent uoluntatẽ firmatam in bono.

Quandiu anima fruitur deo sine corpore, appetitus eius sic quiescit in eo, quòd tamen adhuc ad participationem eius, uellet suũ corpus pertingere.

Appetit anima sic frui Deo, quòd etiam ipsa fruitio deriuetur ad corpus per redundantiam, sicut est possibile.

Animæ sanctæ ante ascensionem & post resurrectionem Christi, erant cum Christo in paradiso terrestri.

Animæ separatæ possunt exire de locis suis, & apparere eis.

Apparitio animæ separatæ est miraculosa.

Apparitio animæ bonæ uel malæ, fit ad utilitatem nostram.

Animæ beatæ possunt apparere quando uolunt, non autem damnatæ, nisi permittantur.

Animæ separatæ à corpore ante resurrectionem & præmiantur, & puniuntur etiam pœnis corporalibus.

Habitus scientiæ hic acquisiti, manent in anima separata. Animę separatę quędam, quę hic sunt, cognoscunt, sed non omnia.

Animæ separatæ possunt cognoscere facta uiuentiũ, per animas nouiter decedentium, uel per angelos, uel per dęmones, uel deo reuelãte

Animæ separatæ cum solo peccato originali cognoscunt omnia, naturaliter cognoscibilia à ratione, & multa alia.

Vti

Vti collatione & discursu est cõnaturale omnibus animabus beatorum.

Animæ intelligunt per species infusas.

Anima non cognoscit semper se & deũ, quia non semper sunt ei præsentia obiectiuè.

De animabus uide quoque locos de inferno & purgatorio.

DE INFERNO.

Infernus secundum Thomam, est horridus ualde, tenebrosus & pœnalis locus omnium dæmonum.

Infernus secundum Scholasticos est quadruplex. Primus est profundissimus, & est damnatorum, in quo sunt tenebræ, & quantum ad carentiam diuinæ uisionis, & quantum ad carentiam gratiæ, & cum hac pœna sensibilis, & secundum doctores, proprius est locus perpetuus damnatorum, qui tam pœna sensus, q̃ pœna damni perpetuè puniuntur, ~~ad quem locũ nullus descendit, nisi qui cum mortali in hac uita personaliter perpetrato, sine uera pœnitentia ab hac uita decedit~~. Et iste locus secundum communem opinionem habet esse in medio terræ, uel sub terra, uel in cẽtro terrę, id est, in medio. Rationabile enim uidetur, quod immundis & uilissimis peccatoribus pro carcere perpetuo, correspondeat locus uilissimus, talis est in me-

tio terræ, ubi tanquam ad sentinam feces totius mundi coguntur descendere, qui quidem locus multas habet qualitates læsiuas.

Infernus creditur esse maxima concauitas, ac per hoc & maximæ capacitatis.

Sicut Deus ex piissima misericordia prępara uit locum quendam amœnissimum, clarissimũ & iocundissimum, pulcherrimum & altissimũ electis suis: ita ex seueritate suæ iustitiæ parauit locum turpissimum, nefandissimum &c. ueluti carcerem perpetuum puniendis transgressoribus mandatorum suorũ, & est infernus localis. Pœnalis autem infernus est ipsum infernale supplicium, quo cruciantur & puniuntur impij peccatores. Hoc modo tot sunt inferna, quot pœnæ &c.

Verè æstimandum est, here bi infernum esse sedem sub telluris uertice constitutum. Nam quemadmodum grauiora suapte corporis natura ad inferiora ducuntur, ita terrena deorsum suopte pondere feruntur.

2 Secundus infernus isto superior est limbus puerorum, in quo sunt pœnæ duplices prædictæ, sed nulla pœna sensus, sed pœna dãni, quæ est carentia diuinæ uisionis, & beatæ fruitionis, eo quòd perpetuò peccato originali maneant maculati.

3. Tertius super hunc, in quo sunt tenebræ carentes diuinæ uisionis, non autem tenebręgratiæ;

tiæ, sed est ibi pœna sensus, in quo sunt animæ purgandæ, & pœna damni, utraq; tamen temporalis.

Supra hunc tertium est & quartus, tenebrosus, quantum ad carentiam luminis gloriæ, & non gratiæ, & in quo nulla est pœna sensus, in quo fuere patres ab omni debito peccati purgati: ad hunc Infernum descendit Christus, & secundum multos doctores etiam ad locum secundum purgatorij, omnes suos amicos, id est, gratia sibi incorporatos eripiens. Nō autem ad limbum puerorum, nec ad infernum damnatorum descendit, quare & nullum de his locis liberauit Christus.

Animæ patrum per descensionem Christi factæ fuerunt beatæ (& licet statim post mortem Christi habuerint beatitudinem) & sic patuit eis cœlum, quantū ad premium beatificū, sed non quantum ad locum. Cuius ratio est; qa Christus in oibus primatum debuit habere, unde omnium ascēsio debuit differri usq; ad ascensionem Christi: unde animę sanctorum, nec statim fuerunt eductę de limbo, nec statim in cœlesti paradiso fuerunt collocatę, diuina dispensatione hoc faciente ad nostram salutem.

Quod Christus dixit ad latronem: Hodie mecum eris in paradiso: paradisus ibi non dicitur locus ille empyrei, nec locus paradisi terrestris, sed ipsa Dei uisio.

Anima Christi permansit in inferno usq; ad tertium diem resurrectionis, quo limbus factus est paradisus, propter aptam Dei uisionem, in quo & latro receptus est, secũdum uerissimam Dei promissionem.

Licet pœna infernalis sit maxima, tamen nõ tollit peccatum, quamuis ipsum manentem ordinet sub iustitia diuina.

Etiam damnatis piacularia suffragia opitulantur, non quantum ad pœnas peccatorum, pro quibus damnati sunt, quouis modo releuãdas, nec quo ad pœnam damni, nec quo ad pœnam sensus.

Pro damnatis quoq; orandum est, quia latro in morte pœnituit, sed non publicè, uerũ in secreto.

Cum in damnatis sit diuersitas peccatorum, erit etiam diuersitas pœnarum, unde cũ in peccato sit auersio à creatore, & cõuersio ad bonũ commutabile, & deordinatio cõtra dictamen rectæ rationis, meritõ pœna uariabitur propter ista, unde propter auersionẽ fit carentia uisionis Dei: propter cõuersionem fit pœna materialis incendij, propter inordinationem aũt rationis & uoluntatis erit pœna uniuersi, quę cõsistit in adflictione uaria & acerba, atque æterna.

Damnati uident usq; ad diem iudicij gloriam beatorum in uniuersali, & non in particulari,

lari, quia uident eos in magna gloria, sed non in quasi.

Octo genera pœnarum in lege esse conscripsit Tullius, scilicet damnū, uincula, uerbera, talio, ignominia, exiliū, mors & seruitus, quæ omnia possunt pœnis infernalibus aptari.

Infernus quadruplex est, damnatorum, puerorum, purgandorum, & sanctorum patrum. In primo sunt tria: tenebrę gratiæ, tenebrę gloriæ, & pœna sensus. In secundo sola duo. In tertio tantum secundum & tertium. In quarto tantum secundum.

Infernus est in centro, id est, in medio terræ.

Infernus probabiliter ponitur sub terra.

DE LIMBO.

Christus descendit ad limbum patrum, quæ appellatio est scripturæ satis nota.

Patres ueteris Testamenti descenderunt ad limbum.

Carentia uisionis Dei, nō est pœna adfligens pueros, & alios in limbo.

Sancti in limbo, statim post passionem Christi, uiderunt essentiam Dei.

Limbus est pars superior inferni, in quo detinebantur saluandi, quousque debitum primi parentis per mortem Christi solueretur.

Christus descendit ad inferna, id est, limbum

Quod autem Psal. 1. dicitur: Eruisti animã meã ex inferno inferiori, non est contrarium. Dicitur enim: ibi limbus infernus inferior respectu aëris caliginosi, in quo ut in suo inferno affligũtur modo maligni spiritus, unde respectu illius aëris, quo ad sitũ, limbus hoc est superior pars inferni, dicitur infernus inferior.

Limbus paruulorũ aut puerorum, est locus proximus damnatorũ, & ideo est locus uilis, respondens infectioni carnis, quę est naturalis expctõ originali. In hunc locũ descendũt paruuli, qui decedunt in peccato originali, quibus nulla pœna debetur, eò quòd nullũ cõmiserunt peccatum actuale, debetur tamen eis pœna damni, quę est carẽtia diuinę uisiõis & beatificę fruitionis, eò quòd perpetuo manent originali peccato maculati. Et iste limbus dicitur cõiunctus inferno, quamuis in eo nulla sit pœna sensus.

Postquam Christus ianuas cœli aperuit, tunc sinus Abrahæ factus est locus gloriæ, scilicet ipsum cœlum empyreum.

Suffragia non prosunt illis, qui sunt in limbo puerorum, quia non sunt in statu salutis.

Nec passio Christi profuit illis, qui fuerunt in limbo puerorum.

Suffragia non profuerunt illis, qui fuerunt in limbo patrum ante mortem Christi.

Liberauit Christus omnes illos ex limbo, qui meriti sui capaces esse poterãt, sicut fuerũt sanc-

ti

cti patres, qui non propter reatū personæ, sed tantum propter reatum naturæ detinebantur.

Nec paruulos liberauit Christus è limbo, quia de corpore Christi non erant per fidem, uel per fidei sacramentum.

Sinus Abrahę dicitur limbus ille, è quo Christus patres liberauit, quia Abraham ibi fuit, sed nunc cœlum empyreum est sinus Abrahæ, quia ibi est iam Abraham.

A nullo prędictorum locorum est transitus ad alium; nisi è tertio ad quartum, hoc est, de purgatorio ad limbum patrum.

Ex iam dictis patet, quare cãtamus. Libera animas omniũ fideliũ defunctorũ de manu inferni de profundo lacu &c. quia ibi infernus sumitur pro purgatorio, sicut & ibi sumitur pro limbo, quando Christus dicitur ad inferos descendisse, uel infernum destruxisse.

Limbus patrum est supra limbum puerorum, & utercq; est supra purgatorium & infernum, licet sint contigui, & differant in pœnis, secundum quod consonat sanctorum dictis, & reuelationi factæ multis.

In limbo patrum erat quies, per immunitatem pœnarum, non autem per immunitatem desiderij.

Sancti patres in limbo habebant fidem & spem, quia nõ euacuabantur, nisi per uisionem Dei per essentiam.

~~In limbo patrum erat dolor de dilatiõe~~ gloriæ, non autem pœna ſenſibilis pro peccato.

Limbus patrũ clauſus fuit à Chriſto, ne quis ulterius introeat.

DE PVRGATORIO, ſuffragijs & exequijs,

Purgatorium ex multis ſcripturę locis probari poteſt.

Animæ in purgatorio quærunt requiem, & horrent pœnas.

Animæ ſuffragijs uiuentium liberantur ex purgatorio.

Ex purgatorio patet aduitam æternam aditus.

Canonicæ pœnitentiæ etiam in purgatorio locum habent.

Pœna Canonica in pœnam purgatorij mutari poteſt, & in illo perſolui.

Animarum horror in purgatorio minuitur, charitas uerò augetur.

In purgatorio Papa non ſolum perfectiſſimis, ſed etiã alijs quibuſcunq; omnino omnes pœnas remittere poteſt.

1. Non ſequitur. Papa redimit animas ex purgatorio propter pecuniam ad ſtructuram Baſilicæ S. Petri: ergo ex charitate obligatur euacuare purgatorium, & animas gratis ex illo liberare.

Nec

Nec sequitur. Iniuria est pro redemptis orare: ergo Papa debet exequias & anniuersaria defunctorum remittere, & à beneficijs pro illis seruandis institutis, recedere.

Purgatorium probatur ex sacra scriptura, quæ est in Canone.

Animæ in purgatorio sunt securæ de sua salute.

Animæ in purgatorio non peccant, etiamsi quærant requiem, & horreant pœnas.

Animæ suffragijs uiuentium liberantur ex purgatorio, nec opus habent, ut ipsæ per se satisfaciant pro peccatis.

Animæ in purgatorio sunt extra statum merendi, & augendæ charitatis.

Animæ in purgatorio satisfaciunt pro peccatorum pœnis, à quorum culpis absolutæ, hic non satisfecerunt.

Erroneum est, Deum à moriturò non requirere aliam, quàm mortis pœnam.

Animæ in purgatorio certæ esse possunt de sua salute, & anxiè cupiunt nostra suffragia.

Papa habet absoluere animas à pœnis in purgatorio.

Anniuersaria, uigiliæ mortuorum, depositiones, septimus, tricesimus, fraternitates, oblationes &c. piæ sunt ceremoniæ, quibus iuuantur animæ in purgatorio.

Preceptũ dei habemus orandi pro mortuis.

Missæ

Missæ iuuant mortuos, ut liberentur ex purgatorio.

Non est Christianus, qui se non implicet Missis pro defunctis.

Purgatorium satisfactionibus redimitur, satisfactiones redimuntur pecunia.

Pœnæ purgatorij sunt ~~satisfactiones seu satispassiones pro pœnis purgatorij~~.

Agite pœnitentiā ait Christus: ergo ferendę sunt pœnę purgatorij post hanc uitam.

Pœnę æternæ non remittuntur, nisi propter pœnam purgatorij, aut satisfactiones canonicas, hoc est, propter certa quædam opera non debita &c.

Heresis est dicere, imperfectam charitatē moriturj ferre secum necessariō magnum timorē, qui per se solus satis est loco pœnæ purgatorij, & impedit introitum regni Dei.

1. Per indulgentias extrahuntur animę ex purgatorio absolutæ.

Animæ in purgatorio, iudicio dei reseruantur, ad certum tempus tantum.

2. Animę duę uel tres per indulgentias sępe extrahuntur ex purgatorio, taeito occulto diuinæ seueritatis.

Purgatoriū est locus, in quo est simul pœna sensus & damni, utracq; temporalis.

Animæ quædam ex specialibus causis in locis purgantur, in quibus deliquerunt.

Pœna

Pœna purgatorij est maxima. Nam sicut dilectiones spirituales sunt intensę multũ, & præcellunt corporales, ita & tristitia de absentia super excellit omnem dolorem corporeum.

In purgatorio solatiũ tamen est in adflictione, ex certa spe beatitudinis, & ecclesię spiritualibus subsidijs & pijs amicorũ suffragijs, et quia charitas in eis cõgaudet ueritati correctionis.

Animabus in purgatorio, per modum suffragij, prosunt indulgentiæ.

Suffragium est secundum scholasticos, quo animabus in purgatorio subuenitur.

Sciendum est & malorum parentalia opitulari mortuis.

Suffragia facta per unum uiuum prosunt alteri uiuo propter charitatis unionem, sed sic prodest bonum factum alij bono, secundum illud: sanctorum communionem, & particeps ego sum, quia una est omnium fideliũ universalis ecclesia charitate coniuncta, quæ est societas & amicitia spiritualis; Vnde sicut quãdo est cõtracta societas omniũ bonorũ inter aliquos, quicquid unus lucratur oĩbus est commune, sic spiritualiter, non aũt peccatori, qui non est de corpore Christi, sed mẽbrum diaboli, quia non est cõuentio uel cõmunio Christi ad Belial &c.

Suffragium uiui prodest mortuo propter charitatis unionem, & sic omnia bona bonorũ prosunt mortuis, etiamsi siant pro uiuis, sicut Missa.

Au-

Audienda est Missa pro salute uiuorum & defunctorum.

Mortui uiuunt in memoriis uiuorum, & sic omnes Missæ eis prosunt, in quibus est unum memento pro mortuis. Prosunt autem propter intentionem uiuorum.

Prosunt insuper suffragia omnibus & solis, qui sunt in purgatorio, qui possunt per alios satisfacere, qui non possunt per seipsos.

Suffragia autem quibus iuuamus defunctorum animas, sunt preces sacerdotũ, id est, Missæ, quæ inter cætera plus ualet ad educendum è carcere.

Item sanctorum precibus iuuantur animæ, non solum in patria, qui orant pro socijs suis, sed etiam precibus iustorum uiatorum, & precipuè oratione dominica. Item Psalterio quod est oratio spiritussancti.

Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut iejunio cognatorum.

Curatio uerò funeris, cõditio sepulturę, pompæ exequiarum, magis sunt uiuorum solatia, quàm subsidia mortuorum.

Vigiliæ quoq; prosunt mortuorum, ab ecclesia institutæ.

Soluuntur eleemosyna charorum, quia eleemosyna ã morte liberat, & facit inuenire uitam æternam,

æternam, quia etiam includit orationē & ieiunium, ad quæ tenetur eleemosynam recipiens.

Soluuntur quoq; animæ ieiunijs, & quibuscunq; afflictionibus corporalibus. Sicut beatus Dominicus catena unam disciplinam accipiebat, pro illis in purgatorio.

Liberantur etiā animæ defunctorum indulgentijs prælatorum, sicut enim prælatus potest dispensare thesaurum ecclesiæ, sic priuatus bona propria.

Sepultura quoq; prodest uiuis & defunctis, ad astruendum fidem resurrectionis.

Mortuo prosunt hæc ceremonialia circa sepuluram, cera, oleum, oblationes, serica &c. quia talia cedunt in honorem Dei, & utilitatem pauperum uel ministrorum, ut si de panno serico fiat altaris paramentum, uel ecclesiæ ornamentum, uel in pecuniam redactum detur pauperibus.

Prosunt & suffragia per malos facta ex opere operato, ut missa mali tātum, quātum boni, item ex opere operante uniuersalis ecclesiæ.

Item ex opere operante prosunt suffragia, eius scilicet qui uel rogat uel mandat pro se aliquid fieri, sicut bonus dñs per malū seruum faciendo eleemosynā meretur & satisfacit, quia qui per alium facit, per seipsum facere uidetur, sicut Christus per malos ministros benedicit & baptizat, & sic suffragia à defunctis mādata uel

Z

petita, per malos exhibita eis prosunt.

Si certum est aliquē non esse in cœlo, infidelitas est pro eo orare, sicut & iniuriam facit martyri, qui pro eo orat.

Suffragia non prosunt illis, qui sunt in limbo puerorum, quia non sunt in statu salutis.

Si inueniatur mortuus subitō, qui prius fuit bonę uitę, in publico oratio pro eo fieri debet, quia iustus, si morte præoccupatus fuerit, erit in refrigerio &c.

Purgatorius ignis corporalis est, per quem tantummodo spiritus iustorum, qui in hac uita non impleuerunt pœnitentiam, nec satisfactionem condignam, affliguntur.

Hi qui sunt in purgatorio spem habent euasionis, quia sciunt se non esse in inferno, & tamen propter pœnarum magnitudinem hocaliquando non animaduertunt.

1. In purgatorio duplex pœna est, una est pœna damni, quæ est de carentia diuinæ uisionis,
2. altera est pœna sensus de afflictione ignis, & quantum ad utrunq; minima pœna purgatorij maior est maxima pœna mundi.

Ignis.

De igne qui purgat animas dupliciter loqui possumus. Quantum ad id, quod primo affligit, sic est corporeus: quantum ad illud, quod proximè affligit & immediate, & sic est incorporeus. Primo modo dicitur ~~ignis naturæ.~~

Secundo

Secundo modo dicitur ~~ignis similitudinarie~~, sic dicitur leo uerus & leo pictus.

Ille autem ignis incorporeus dupliciter potest considerari. Primo, ut est instrumentum naturæ, & sic agere potest in corpus, & non in animam. Secundo prout est instrumentum diuinæ iustitiæ, & sic agit in animam imprimendo illi speciem suam, per quam affligitur, quia uiolenter specie illa informatur. ~~Sicut enim~~ anima secundum ordinem naturæ unitur corpori, ut instituat uitam, sic meritò secundum ordinem iustitiæ unitur, à quo suscipiat pœnam.

Dæmones non puniunt animas in purgatorio, sed illuc eas adducunt, uel etiam assistunt, ut communiter dicitur.

De loco purgationis sic sciendum est, quòd locus ille dupliciter assignatur, aut secundum legem communem, & sic est in uno loco, in parte inferni circa limbum patrum, aut secundum dispensationem specialem, sic purgantur animæ aliquando in diuersis locis, in quibus peccauerunt, hoc autem fit propter aliquam suam reuelationē, propter suffragia eorum, quibus apparent in illis locis, uel etiam propter aliquā uiuentium ædificationem.

Ignis purgatorius plus uel minus cruciat, secundū quod quis plus uel minus decremabilis secū tulit. Oportet enim priusq; dei facies uideatur, q; lignum, fœnū, stipula, maiora, minora &

mediocria uenialia per crematione totaliter cõsumantur. Prędicta uerõ pœnę diuersitas, nõ est diuersitate ignis agẽtis, sed subiecti patiẽtis, sicut sub eodem sole unus plus ęstuat, alter minus. Tanto enim quisq; torquetur diutius, quãto affectus eius uenialibus adhærebat fortius.

Sicut pertinet ad seueritatem diuinę iustitiæ bonos propter uenialia purgari in purgatorio, ita pertinet ad bonitatem diuinę misericordiæ eosdem per suffragia reuelari.

Suffragia prosunt defunctis, non ad meritum uitæ, sed ad absolutionem pœnæ. Et hoc uel ad pœnarum mitigationem, uel ad celsiorem pœnarum liberationem.

Purgatorium negare est erroneum, & à fide alienum.

Locus purgatorij est duplex, sicut habẽt sanctorum dicta, & reuelationes illis factę, cõmunis & coniunctus inferno, scilicet superior eo, & specialis secundum dispensationem Dei.

Idem est ignis inferni & purgatorij.

Ignis purgatorij est ęternus secundum substantiã, sed est temporalis secundum effectum purgationis.

Animę in purgatorio non solum purgantur à Dei iustitia, sed deducuntur illuc ab angelis, dęmones autem comitantur, & assistunt.

Aliquis in purgatorio diutius moratur, qui minus affligitur, & è conuerso.

In

In purgatorio diutius torquentur alijs, qui ad uenialia magis fuerunt immersi.

Qui sunt in purgatorio non possunt peccare uenialiter, quia non habent fomitem ex quo causatur.

Existens in purgatorio est uiator secundum quid, in quantum retardatur à beatitudine, nõ autem simpliciter.

Qui sunt in purgatorio sciunt se esse liberandos, alioqui non peterent suffragia.

Consuetudo suffragiorum ecclesię pro mortuis incepit ab Apostolis.

Suffragia prosunt mortuis, sicut & uiuis.

Inter suffragia pro mortuis, principale est eucharistia, secundum eleemosynę, tertium ratio, quartum cætera bona.

Suffragia ecclesię ualẽt ad tria, ad augmentum gratiæ, custõdiam uirtutum, & ad defensionem ab hoste.

Mortuus patitur detrimentum, si tardetur exequutio eleemosynarum, quas prius mandauit fieri, nõ quidem quo ad meritum, sed quo ad effectum remedij.

DE INVOCATIONE, adoratione, imaginibus, reliquijs & cultu sanctorum.

Christus præcipuus apud patrem interces-

ſor eſt, ſancti minus principaliter ſunt intercessores.

Inuocatio & adoratio rectè tribuuntur ſanctis, ut cultus.

Meritis ſanctorum nos adiuuari piè credendum eſt.

Imagines ſanctorum in ſummo honore habendæ ſunt.

1 Impietatis eſt dicere, Mariam nullam habere apud Chriſtum prerogatiuam in cauſa ſalutis.

2 Maria nunquam errauit, nec errare potuit.

3 Maria concepta eſt ſine peccato originali.

4 Maria eſt aduocata noſtra, ſicut & reliqui ſancti ſunt noſtri aduocati.

Hæretici ſunt, qui improbant cantica de ſanctis, ueluti: Salue regina, Regina cœli &c.

Oratio Mariæ, & aliorum ſanctorum uita defunctorum, longè excellit orationē uiuentium.

Sancti etiam propter temporalia colendi ſunt.

Etſi per Chriſtum habeamus acceſſum ad patrem, ideo tamen non cadit fiducia ſanctorum.

Diſcurſus hominum ad eccleſias ſanctorum, Deus facit.

Sancti magis honorandi ſunt, propter eorum uitam, quàm doctrinam.

Re-

Reliquiæ sanctorum in summo pretio habendæ sunt, nec condendæ in terram.

Miracula sanctorum probant, sanctos inuocandos esse.

Sancti orant pro ecclesia; ergo sunt inuocandi quoq.

Rectè tribuitur sanctis in hoc pars diuinitatis quedam, quia cernunt tacitas cogitationes mentium in nobis.

Quæstio est apud scholasticos, de matutina & uespertina cognitione, utrum mane an uesperi audiant sancti.

Non solum inuocare licet sanctos, sed & eorum merita applicare pro alijs.

Sancti non solum sunt deprecatores, sed etiam propiciatores.

Est aliquo modo distinguendum de mediatoribus intercessionis, & mediatoribus redemptionis.

Sancti planè sunt mediatores redemptionis, etiam mediatores intercessionis.

Christus durior est, sancti placabiliores: ergo hi primum quærendi sunt.

Fidendum est meritis sanctorum, propter quæ reputamur iusti.

Merita sanctorum in indulgentijs applicantur pro alijs.

Ordo institutus à deo est, ad auxilia sanctorum cõfugere, ut eorum meritis & uotis saluemur, Gabriel.

Sana forma est in articulo mortis sic loqui: Mater gratiæ, nos ab hoste protege.

Christus iudex & ultor est, quare opus habemus sanctis intercessoribus.

Maria nostra aduocata, interpellatrix, mediatrix &c.

Singulis sanctis certæ procurationes commissæ sunt, ut: Anna diuitias largitur, Sebastianus arcet pestilentiam, Valentinus medetur morbo comitiali, Georgius tuetur equites &c.

Imagines sanctorum colendę sunt, quia inest eis uis quædam.

Licitum & pium est, sanctorum reliquias & imagines uenerari.

Iuris diuini est canonisare sanctos.

Opus pœnale sanctorum potest considerari duobus modis. Vno modo, ut est meritoriũ, & sic non transgreditur personam, nisi solum meritum Christi, qui sibi plus meruit & alijs, quàm accepturus sit in seipso. Secundo modo pro ut est satisfactorium, & sic multi plus satisfecerunt, quàm debuerunt, iuxta secundũ sensum dixit Apostolus, ad Coll. 1. Adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi, & totius ecclesiæ, & iterum: omnia facio propter electos, ut & ipsi salutem consequantur, hinc Iob quoq; clamabat: Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior

iii

in statera, quasi arena maris, hęc grauior apparetet. Iob igitur satisfecit pro peccatis ultra cõdignum, & opera sua in quantum satisfactoria excedebant pœnam, peccatis suis debitam.

Opera sanctorum meriti dono pariter uigent & satisfactionis. Quòd autem sint meritoria, certum est ex 5. cap. Mat. Beati estis, cum maledixerint uobis homines &c. gaudete & exultate. Ecce enim, merces uestra copiosa est in cœlis.

Satisfactio sanctorum superabundat, ita quòd illorum superabundantia merita alijs per indulgentias applicentur. Iob. 6. Vtinam appenderentur peccata mea &c.

Satisfactio superabundans prodest egentibus ex intentione sanctorum operantium. Secundo Mach. 12. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis, exoptare, ut à peccatis soluantur. Ad Col. 1. Ego Paulus minister, qui nunc gaudeo in passionibus pro uobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionibus Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Posteriore ad Tim. 2. Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur.

Opera sanctorum ecclesiæ uocantur thesaurus cœlestis. Matth. 5. Thesaurizate uobis thesauros in cœlo &c. Ad Col. Passiones adhuc desunt.

Peritoria meritorum Ecclesiæ nondum est

plena, nec adimplebitur, nisi cum seculum finitum fuerit. Peritoria autem uas est uel domus, ubi pariter multa inferuntur.

Reliquiæ sanctorũ, uel pulueres, in quos redacta sunt corpora, adorari possunt habitudine specialis cõiunctionis, uel unionis. Itẽ, crux Christi, flagella, claui &c. adoratiõis cultu prosequi, secundum prędictum modum licet:

Vestes, aut aliæ res in sanctorum usum per corporum aut mẽbrorum attactum uenientes iuxta prędictum modum adorare licet.

Imaginum introductio nõ fuit absq; rationabili causa. Propter triplicem. n. causam introductæ fuerunt, uidelicet propter simpliciũ ruditatem, propter adfectuum tarditatem, propter memoriæ labilitatem.

Prącipua ratio est, cur humana religio admittit sacras uenerandasq; sanctorum imagines, ut simplicioribus esset memoriale perpetuum, & deuotionem sapientium excitarent.

A uisibilibus imaginibus discimus transire mente ad inuisibilia: à corporalibus ad spiritualia: ille namq; est finis imaginum:

Simulachrorum cultus introductus est, tũm ad incolumitatis nostræ memoriam excitandam, tũm ad hebetiorũ hominũ ingenia admonenda, quandoquidẽ uehementius in hominũ mentes influit aspectus, quàm auditio.

Cultus imaginum à Christo introductus pu-

ra

tur, qui Abagaro regi effigiem suam in linteo pictam misit, Eusebio teste. Quod quidem genus cultus postea est senatusconsulto confirmatum, promulgatumque, ut diuorum imagines in delubris pingerentur. Ex quo facilè intelligi potest, sanctorum simulachra esse colenda &c.

Quōd si sanctorum imagines colendæ dicuntur, nemini dubium esse potest, quin sospitatorum Christi crux augustius sanctiusq; coli debeat.

Imagines rerum adorandarum, eadem specie adorationis adorandæ sunt, qua res representatæ, tam capiendo species illas propriè, quàm communiter & analogicè, ut imago Christi, uel beatæ uirginis, ut representet mihi Christum crucifixum, adoranda est latria largè accepta, scilicet cum formo actum, quo credo Christū & Deum & hominem per istiusmodi imaginem representatum esse, & crucifixum, & diligo eum talem. Illi actus sunt latria, propriè dicta. Suo modo dicendum est de imagine uirginis gloriosæ, quę hyperdulia adoratur, & cęterorum sanctorum, qui dulia ueneranturꝰ.

De reliquiis sanctorū, uestimentis, & rebus, quibus ad Dei honorem usi sunt, per ea merendo, adorandæ sunt dulia, uel hyperdulia, quod nihil est aliud, quàm recognitio eorum ut partium, uel coniunctarum sanctis.

Latria

Hyperdulia

Dulia.

Anima-

Animabus sanctorum debetur eadem adoratio, quæ sanctis, nam propter animas sanctas, totum compositum est sanctum.

Reliquiæ sanctorum sunt uenerandæ, tanq; ea, quæ fuerunt partes corporum sanctorum, saltem secundum materiam earum: partes autem solum adoratione adorandæ sunt cum toto. Cum ergo sancti dulia adorandi sunt, simili adoratione duliæ eorum reliquiæ sunt adorandæ: simili dixi, sed non eadem adoratione, quia adoratio duliæ analogicè attribuitur sanctis & partibus, quæ non sunt creaturæ rationales, id est, partibus materialibus propter animam rationalem, cui debetur dulia propriè dicta, siue sit actu pars, siue fuerit pars. Cæteris partibus puta corpori uel parti eius debetur dulia analogicè, siue sit actu pars sancti, siue aliquando fuerit pars eius.

Reliquiæ sanctorum sunt uenerabiliter honorandæ. Nam per contactum illarum, multa dominus beneficia contulit ad earum dignitatem declarandam.

Suo modo dicendum est de cæteris, ut armis triumphalibus, uestib. sepulchris, & alijs olim ad usum sanctorum pertinentibus. Generaliter autem omnia coniuncta adorandis eadem specie adorationis analogicè adoranda sunt, quibus ea, ad quæ coniuncta fuerunt, adorantur propriè: si latria, latria: si hyperdulia, hyperdulia:

lia: si dulia, dulia &cæt.

Matri Christi debetur adoratio propria, quia ipsa rationis capax est. Vnde cum diuam uirginem adoramus, eius beneuoleutiam captamus & desideramus: cum uerò crucem Christi adoramus, non intendimus placere cruci, sed crucifixo.

De adoratione crucis, & sanguinis Christi, uide locum de Christo.

Credendum est, Mariam glorioso corpore in cœlum esse assumptam.

Duplex est confirmatio: altera uiæ, altera patriæ. Confirmatio ~~uia confirmata~~ fuit uirgo gloriosa, ita quòd mereri potuerit, & nullo modo assistẽte gratia diuina, id est, gratuita dei uoluntate eam peccare prohibente.

Item S. Ioannes fuit confirmatus in uia, & habuit impossibilitatem peccandi.

Beata uirgo in conceptione filij, licet nõ antè habuit impossibilitatem peccandi, nec unq̃ infecta fuit aliquo peccato, nec originali.

Tempore passionis Christi tota Ecclesia & fides Ecclesiæ Christianæ in Maria matre Christi remanserat.

Sanctus quilibet habet aliquam præeminentiam secundum spiritualem usum alicuius uirtutis.

Sancti quadruplicem prærogatiuam consequuntur à Deo, scilicet, quia sunt electi per præ-

 desti-

destinationem, formati per gratię infusionem, recti per dilectionem, & serui per operationis debitum.

Tria præparat Deus sanctis, locum æternæ quietis, regnum æternæ dignitatis, & mensam æternæ consolationis, idq; ex merito aliqua ex parte.

Seruimus sanctis, non quasi obnoxii eis, sed uirtute reuerentiæ, quia sunt nostri doctores per doctrinam uel administrationem, uel intercessionem & exemplum.

Maria à nullo unquam concupisci potuit, licet fuerit corpore pulchra.

Maria fuit sanctificata in utero, antequam nasceretur.

Maria fuit bis sanctificata, semel in utero matris, secundo quando concepit Christum. In prima fomes fuit ligatus, in secunda toraliter ablatus.

Maior sanctificatio fuit in Maria, quàm in Ioanne.

Maria est perfectè beata secundum corpus, quia unà cum glorioso corpore fuit assumpta in cœlum.

Maria meruit portare Christum, hoc est, meruit gradum puritatis & sanctitatis, quo congrue esset mater Dei.

Maria non sedet ad dexteram Dei, sed adstat tamen.

Ma-

8 Maria habuit perfectissime aureolam uirginitatis.

9 Maria est super omnes choros angelorum.

10 Puritas hæc fuit beatæ uirginis, quòd à peccato originali & actuali fuit immunis.

Reliquiæ sanctorum uel diuina uerba, licite portantur suspensa ad collum, si portentur ex fiducia Dei & sanctorum, quorũ sunt reliquiæ.

DE CONIVGIO SACERdotum, & cœlibatu.

Coniungium sacerdotum suspensione officij puniri debet.

Dicere matrimonium omni statui, etiam sacerdotali esse præceptum, ad uitandum fornicationem, est doctrina Asmodei.

Coniugia sacerdotum seruiunt ad ignominiam & infamiam status sacerdotalis, & Romani imperij.

Nullum extat præceptum scripturæ, quod præcipit sacerdotibus uxores ducere.

Matrimonia sacerdotum illicita sunt, & contracta solui debent.

Ideo sacerdotes non debent contrahere matrimonium, quia cœlibatus munditiæ est.

Cœlibatus meretur remissionem peccatorum, & reconciliationem.

In

In ueteri Testamento, sacerdotes tempore ministerij abstinuerunt se ab uxoribus, ergo sacerdotes noui Testamenti se abstinere debent, & quia noui Testamenti sacerdotes semper orare debent, igitur semper continere debent.

Continere uerè est homini possibile.

Status uirginitatis est supra statum coniugalem, & illo non est melior supra terram.

Cœlibatus ~~est angelicum uitæ genus, gratissimum Deo sacrificium~~, quod meretur remissionem peccatorum, meretur aureolas, fert centesimum fructum, & alia infinita.

Coniugium sacerdotũ mortis supplicio puniendum est.

Lex de perpetuo sacerdotum cœlibatu, diuinitus reuelata est.

Scriptum est: Mundamini, qui fertis uasa domini: ergo mundi debent esse sacerdotes: mundi autem esse non possunt, quando ducunt uxores &c.

Coniugium sacerdotũ est hæresis Iouiniani.

Votum castitatis etiam ante pubertatem emissum ligat.

Statutum de cõtinentia clericorum fecit Ecclesia, quia potuit, quia licuit, quia decuit, quia expediens fuit, & Latini tale statutum libenter super se receperunt, sed Græci dederunt tergũ, nec in tam nobile statutum consenserunt, ideo ablatum est ab eis regnum &c.

Virginitas ultra cõiugalem castitatem addit perfectionis statũ, & differre uidentur, sicut uirtus imperfecta & perfecta.

Actus uirginitatis est, abstinere à concubitu propter deum, hoc est, illo modo, quo deus uult abstinere talem. Vult aũt deus eo modo, quo recta ratio dictat.

In aliqua nesciente, inuita & furiosa, & si uiolaretur, manet uirginitas, quia non ~~tam in carne est, quàm mente.~~

Virginitas perfecta semper maioris est meriti, quàm imperfecta.

Virgo uiolenter oppressa, potest tamẽ aureolam nõ amittere: unde dixit Lucia: Si inuitam me corruperis, merces mihi duplicabitur &c.

Virginibus debetur fructus centesimus, & hoc quia cœlestem uitam ducũt, quę significantur per centum, quia numerus ille de læua transit ad dexteram. Vnde uersus:

Virgineæ dabitur centesimus integritati.

Virginitas non requiritur in ordinandis, qa consecrantur in ministros, non in sponsos.

Si Adam non peccasset, uirginitas non esset perfectior cõtinentia cõiugali, sed quia peccauit: igitur uirginitas est cõtinentia cõiugali perfectior. ~~Virgines nõ uiduę uel cõiugatę gerũt figuram Ecclesiæ Christo desponsatæ.~~

~~Virginitas obstricta uoto non potest amitti sine peccato mortali.~~

Virgines melius possunt seruire deo, quàm coniugatæ: ~~Item, seruitus virginum~~ acceptior est Deo ~~quàm seruitus coniugatarum.~~

Virginitas laudatur octupliciter: quia carnis munditiam conseruat, animam decorat, & ornat, angelis cœli assimilat, Christo desponsat, Deo adiungit, & adproximat. cęteris statibus præponderat, odorem bonę famæ spirat, ad nuptias æternas inuitat.

Castitas coniugalis nõ est uirtus specialis supra castitatem, quia non habet laudem, nisi abstinentiæ ab illicitis delectationibus, nec castitas uidualis, quia non est perfecta.

Castitati attribuitur quidem decor, sed uirginitati excellentissima pulchritudo.

DE SCRIPTIS PATRUM.

Impium est dicere, Patres errasse.

Falsum est, quicq̃ superstitiosum esse apud Patres.

Quicquid scribunt patres, piè credendũ est.

Patres sic dixerunt, ergo credendum est.

~~Non est plus credendum simplici laico, etiã si scripturam alleger, quàm patribus.~~

Quatuor doctores Ecclesiæ, quando discordant, tunc in disputationibus subtilibus & quæstionibus præfertur Augustinus, in translationibus

nibus uel historialibus & interpretationibus, præfertur Hieronymus, in moralibus Gregorius, in sermonibus & iudicijs Ambrosius.

Pro certissima regula tenendum est, quòd dicta sanctorum ab Ecclesia approbatorum sunt firmiter tenenda, & præcipuè quatuor doctorum usq; ad ultimum iota seruari debent, et defendi usq; ad sanguinis effusionem.

Quando patres discordant, decisio spectat ad Papam, in articulis fidei & rebus spectantibus ad salutem animæ.

DE DISCRIMINE, SEV delectu ciborum, & feriarum.

Sabbatum significat diei septimi religionem non spiritualem requiem à malis operib. tantũ.

Falsum est, post abrogationem legis, omnes dies esse æquales.

De dominico die non minus habemus scripturam, quàm olim de die sabbati.

Dies dominica non tantũ instituta est, ut homines in illa conueniant ad audiendum uerbũ dei, sed etiã ad feriandum, quæ causa potissima est. Discrimina ciborum & feriarum, sunt opera utilia ad promerendam remissionem culpæ & pœnæ.

Discrimina ciborum & feriarum, sunt pars cultus dei, ad pmerendam iustificationē utilia.

Non postrema pars Christianismi est sita in obseruatione certarū feriarum, rituum, ieiuniorum, uestitus &c.

Peccatum est, negligere discrimina ciborum dierum, uestitus &c.

Peccat, qui in cibis & ferijs trāsgreditur, polluit conscientiam, & cōmittit mortale peccatū.

Dies dominica Ecclesiæ autoritate, pro sabbato instituta est.

Diei dominicæ obseruatio, non quidem est iuris diuini, sed quasi iuris diuini.

Vtēs cibo furtiuo & prohibito, peccat mortaliter.

DE SCRIPTVRA.

Scriptura habet plures sensus, ueluti literalem, allegoricum &c. nec uerum est, scripturæ esse tantum simplicem sensum.

Multa recipienda sunt circa negociū salutis, quæ tamen in scriptura non continentur.

Periculosissimus error est, dicere, ꝙ in cōtroueršijs ecclesiasticis, scriptura pronunciare debeat, quia scriptura utriꝫ parti cōmunis est, & utraꝫ pars illam acceptat.

Intellectus scripturæ ex concilijs & patrum scriptis colligendus est, non ex ipsa scriptura.

Tanta est autoritas Ecclesiæ, ut illi cedat sa-

cra

era scriptura. Sic Ecclesia tulit sabbatum Iudaicum, non scriptura: sic Ecclesia abstulit circũcisionem, non scriptura. Eccius.

4 Ecclesia non peccat, & si quędam aufert, quę in scriptura scripta sunt.

§ Non perpetuò uerũ est, omnia ea, quę in sacris literis continentur, esse indispensabilia, aut immutabilia, nam etsi utriusq; speciei mentio fiat in sacris literis, tamen Ecclesia postea ordinauit unam speciem. Eccius.

Robur scripturæ à pectorali pontificis scrinio pendet.

Papa habet potestatem, scripturam pro se interpretandi, non contra se, quia cum ipse sit uicarius Christi, & Christus sit ueritas, si quicquã cõtra se statueret, idem cõtra propriã uoluntatem, ergo contra ueritatem ageret.

Doctrina Romanæ Ecclesiæ est regula fidei infallibilis, à qua sacra scriptura robur accipit. Sylueſter.

Quicquid doctrinæ Romanę aduersum est, id obliquum & hæreticum est.

Simplici laico scripturam alleganti, non est plus credendum, quàm papæ, uel concilijs.

Laico scripturam habenti credendo, fomẽtum hæreseos est.

Non est putandus theologus, qui nouit triplicem scripturæ sensum adferre.

Sunt multi loci in scripturis diuinis, qui pos-

ſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi unuſquiſq; ſponte præſumit, licet non oporteat.

Rectè ſentiunt, qui Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis ſcripta non agnoſcunt, niſi quia de illis Eccleſia perhibet teſtimonium. Item, rectè ſtatuunt, qui credunt, quòd quia Euangeliſtæ pro ueris non ſuppoſuerint falſa, id non niſi ex teſtimonio Eccleſiæ patere.

Scriptura tripliciter dicitur ſacra: à ſpiritu-ſancto, à materia, & ab effectu.

Scripturæ ſacræ quadruplex eſt ſenſus, literalis, allegoricus, moralis ſiue tropologicus, & anagogicus.

In parabolicis locutionibus generaliter ſenſus literalis eſt, non qui per uerba, ſed qui per res & facta deſignatur.

Bonus ſcripturæ intellectus ex his quatuor ſuboritur: ex uiris præditis ingenij, & exercitatis ſtudio, ex humilibus in iudicio, & ex immunibus ab affectationis uitio. Ex oppoſito alterius iſtorum quatuor ſolet facilè falſus intellectus ſuboriri.

Hoc proprium eſt ſcripturæ diuinę, inſignis ubertas, ut uerba eius ſingula myſteria ſint, quātumcunq; uideantur humilia. Res inſuper loquuntur in ea, & docent mores & uirtutes, docent charitatem tropologicè, ſeu moraliter, docent fidem allegoricè, docent ſpem anagogicè.

Scriptura ſacra lingua una, & multiplex, breuis

uis & latissima, uelut speculum concauum, in quo uariæ relucent facies.

DE IEIVNIO.

Ieiunia ex opere operato merentur remissionem peccatorum, iustitiam, & uitam æternam. Item, ~~necessaria sunt ad iustitiam noui Testamenti.~~

Ieiunium dicitur abstinentia à cibis & uitijs. Et est duplex, scilicet corporale et spirituale.

Ieiuniũ corporale est abstinẽtia à cibo & potu, intuitu satisfaciendi, uel uitãdi peccatũ, uel acquirendi uitam æternam. Spirituale est, abstinentia à peccato mortali.

Ieiunium accipitur triplicifer, propriè, communiter, communissimè. Proprie dicitur adflictio carnis secundum gustum: Cõmuniter omnis carnis adflictio, quæ consistit in uigilijs, & flagellis, & ieiunijs proprie dictis. Cõmunissime abstinẽtia dicitur ab omni peccato mortali.

Ieiunium stricte acceptum pro abstinentia à cibo & potu, triplex est, scilicet, naturæ, uirtutis, & ecclesiæ.

Ieiunium naturę est abstinentia cibi et potus integro die naturali. Hoc modo ieiunat, qui per uiginti quatuor horas à cibo & potu simul abstinet. Et tale ieiunium requiritur ad digne suscipiendum Eucharistiam. Hoc modo ieiuni-

ſimper puram priuationem, & per conſequens nec eſt uirtus, nec actus uirtutis.

Ieiunium uirtutis eſt actus temperantiæ, & eſt refrenatio delectationum guſtus in cibo, & potu, ſecundum regulam rectæ rationis, uel habitus ad hanc inclinans.

Ieiunium Eccleſię eſt abſtinentia à cibo & potu, ſecundum regulam ab Eccleſia inſtitutam. Eſt autem regula ab Eccleſia inſtituta, quòd ieiunus præter cœnam nullum cibum ſumat, & per hoc ſoluit ieiunium, quiſquis in die naturali plus quàm ſemel comedit. Ipſa autem unica comeſtio cœna dicitur, quia refectio in diebus ieiuniorum fieri ſolet ſecundum antiquum Eccleſiæ morem, poſt ueſperas.

Ieiuniorum Eccleſiæ, quędam ſunt de pręcepto, ut quadrageſima tota, exceptis dominicis diebus, & quatuor tempora: Item, uigiliæ apoſtolorum, præter uigilias Philippi & Iacobi ac Ioannis Euangeliſtę. Item, uigilia natiuitatis Chriſti, & uigilia aſſumptionis glorioſæ uirginis dominę noſtrę. Vigilia omnium ſanctorũ, ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſancti Laurentij: Item uigilia Pentecoſtes. Si tamen uigiliæ ieiunandę cadũt in dominicam, anticipantur quantum ad ieiunium in die ſabbati.

Sunt alia ieiunia Eccleſię nõ de pręcepto, ſed de conſilio, ut Aduentus domini, item Rogationes: item quarta & ſexta feria.

Tres sunt causæ excusantes quosdam à ieiunio ecclesiæ, infirmitas, paupertas, & labor, siue sit infirmitas languoris, siue infirmitas ætatis, sicut senes sunt & pueri, siue infirmitas conditionis, sicut minor ualetudo personæ propter conditionem sexus, uel alterius accidentis.

~~Ieiunium ab ecclesia præceptum obligat ad culpam mortalem omnes fideles ipsum sine excusatione legitima non seruantes.~~

Dicitur ieiunium præceptum, quia ieiunium de consilio non obligat, nisi fieret ex contemptu.

Ieiunium soluitur tribus modis seu frangitur, sæpius comedendo, cibo non concesso utendo, ut est esus carnium, casei, lactis, butyri, ouorum &c. & negligendo tempus cõmestionis, ut in quadragesima est hora regularis post uesperas dictas, non tamen oportet uesperam diei expectare, sed officij, ut scilicet ante quam celebretur officium uespertinum, non edatur.

In alijs ieiunijs sequendus est mos patriæ de tempore commestionis, quem qui non seruat, excepta rationabili causa, peccat.

Laudabilis mos est ieiunare, donec appareant stellæ in cœlo.

Ieiunium potissimum propter duo institutum est, propter adflictionem corporis ad satisfaciendum pro peccatis, & ad reprimendam

concupiscentiæ delectationem, qua caueatur à committendis.

Ministrantibus publicè cibos, quibus ieiunium præceptum soluitur eis, in quibus nulla apparet excusatio legittima, non excusantur à mortali peccato, sed uelut peccato consentientes iudicantur obnoxij.

Ieiunium est subtractio prandij, & post cœnam cuiuslibet cibi subtractio usque in sequentem diem.

Ieiunium definit Paulus Cartesius carnificè, quo mens ad superarum rerum contemplationem effertur, facitq; pro scelerum genere satis.

Animæ defunctorum per ieiunia soluuntur à purgatorio.

Ieiunium est actus uirtutis scilicet abstinentiæ & temperantiæ elicitiuæ, & aliarum uirtutum imperatiuæ.

Parsimonia uictus & abstinentia efficiunt ieiunium ecclesiæ.

Ieiunium principaliter sumitur propter tria, propter comprimendas concupiscentias carnis, propter eleuationem mentis, & propter satisfactionem.

Ieiunium ex præcepto ecclesiæ est necessarium absolutè.

Omnes Christiani tenentur ad ieiunia ecclesiæ, nisi fuerint ualde legittimè impediti.

Transgredientes præceptum ecclesiæ de ieiunio ex con-

ex contemptu, peccat mortaliter.

Ieiunia quatuor temporum, sunt quasi primitiæ & expiatio totius anni.

Ieiunans in Dominica contra consuetudinẽ ecclesiæ, uel ex superstitione &c. peccat.

Ieiunium fit in uigiliis sanctorum, causa preparationis ad deuotionem, & causa significationis, quòd sancti per afflictiões peruenerint ad gloriam.

Ieiunium & aliæ abstinentiæ & afflictiones corporales medentur animæ.

Commestio carnium soluit ieiunium, nõ esus piscium, uel leguminum, nec potus uini.

Oua & lacticinia respirantia, sunt interdicta in ieiunio quadragesimæ.

Odor non soluit ieiunium naturæ, nec ecclesiæ, quia non nutrit, sed confortat.

Nimia anticipatio horæ soluit ieiunium, nõ autem tardatio horæ.

Nimia uel auida, ardens, lauta, uel studiosa commestio, non soluit ieiunium, sed tollit eius meritum.

DE SEPVLTVRA, PLANctu, & exequiis mortuorum.

Mortui non sunt pleni actibus bonis.

Sepultura est locus concauus in loco ecclesiastico uel cimiterio factus, in quo corpus catholici conquiescit.

Lo-

Locus sepulturę debet fieri apud ecclesiā consecratam.

Sepultura inuenta est, ne horror & fœtor sit uiuis, & ad fidem resurrectionis futuræ, & ut oretur pro defunctis.

Ius sepulturæ dicitur, quod competit ecclesiæ ad sepeliendum aliquos in suo cimiterio, & prouenit ex Pontificis authoritate & assignatione, competit uerò generaliter ecclesijs parrochialibus.

Prodest sepultura mortuis, in charitate decedentibus, aliquid purgabile secum deferentibus, non per se, sed per accidens, in quantum scilicet inspicientes sepulturam, memoriam retinent defunctorum, ut pro eis orent. Sed ultra hoc prodest in loco sacro, in quantum sepeliens mortuum alicuius sancti patrocinio committit, cuius precibus credendum est adiuuari. Et quia cæteris paribus ex diuina ordinatione triumphans ecclesia specialiter orat pro illis, qui in loco sacro sunt sepulti. Et quia illi, qui loco illi deseruiunt, tenentur cęteris paribus pro illis frequentius & specialius orare.

Item luminaria, panni, & alij sumptus, possunt mortuis prodesse, qui fiunt in sepulturis, idq; per accidens, in quantum per talia homines excitantur ad compatiendum, & per consequens ad orandum pro eis, & in quantū pauperes fructum capiunt, & ecclesia propter deū honoratur.

Lo-

Locus ſepulturæ uendi non poteſt.

Quilibet libere poteſt eligere locum ſepulturæ magis religioſum. Vocatur autem locus magis religioſus, in quo frequentius & honeſtius, & deuotius pro uiuis & mortuis celebratur, & talia ſunt loca in quibus ſunt conuentus fratrum religioſorum.

Sollicitudo pia conferentis temporalia, poteſt cum bono corde nedum in ſuffragijs conditiones apponere, ſed cum hoc loca certa & honorabilia ſuæ ſepelitionis eligere, cum appenſione inſigniorum ſeu titulorum conſcriptione iuxta ſui ſtatus qualitatem.

Eccleſia his ſequentibus perſonis prohibet ſepulturam, excommunicatis, manifeſtis uſurarijs, illis qui in torneamento moriuntur, raptoribus, qui pertinaciter quum poſſint, in uita non ſatisfaciunt, & in morte non poſſunt, blaſphematoribus Dei & ſanctorum, illis qui non ſemel in anno communicant, nec confitentur, illis qui moriuntur in peccato mortali notorie, nominatim interdictis & hoc ſub excommunicationis pœna, illis quibus Interdictus eſt ingreſſus eccleſiæ: illis, qui ſacerdotem filijs tutorem inſtituit, Iudæis & paganis, corporibus exenteratis uel diuiſis, qui ſi de facto ſepeliuntur, debent exhumari ſi diſcerni poſſunt, ſimiliter paganus uel puer, qui extrahitur mortuus de uentre matris, nõ eſt in ſacro loco ſepeliendus: ſi au-

si autem mortua matre puer uiueret, deberet scindi mater, & puer baptizari, & sic in sacro loco sepeliri.

Mortuus quoque potest excommunicari, non quidem quantum ad sacramenta, quoniam ab illis per transitum ab ecclesia militante, (cuius sunt sacramenta) iam separatus est, scilicet quantum ad id, in quo communicat cum ecclesia, hoc est, quantum ad suffragia generalia ecclesiæ, & quantum ad ecclesiasticam sepulturam.

De suffragijs pro mortuis, uide locũ de purgatorio.

De orationibus pro mortuis, uide partim locum de purgatorio, partim locũ de oratione.

Mortuus pariter detrimentũ, si tardetur exequutio eleemosynarum, quas prius mandauit fieri, non quidem quo ad meritum, nec ut puniatur, sed quo ad effectum remedij.

Sancti Patres procurauerunt sepulturam, pro suis corporibus sepeliendis, ut ostenderent ea pertinere ad prouidentiam Dei, & ad resurrectionem.

Terra non consecrata in sepulturam, potest emi in sepulturam. Et sepultura iam cõsecrata, potest uendi ratione materię, in necessitate ecclesiæ, sicut & calix consecratus ratione materiæ, non autem potest uendi ratione consecrationis, uel officij, uel processionis in funere alicuius

cuiūs, ut scilicet aliquis pro pecunia ibi sepeliatur, tamen nō dantes oblationes debitas pro sustentatione, debent compelli dare secundum consuetudinem, & possunt puniri per sacramēt orum subtractionem, nō per sacerdotem, cui sunt oblationes faciendæ, ne uideatur pro sacramentorum uel sacramentalium exhibitione aliquid exigere, scilicet per aliquem superiorem. Quæ fiunt ad ornamentum sepulturæ, prosunt uiuis ad solatium, defunctis uerò per accidens, in quantum excitant uiuos, ut orent pro eis, uel in quantum pauperes recreantur, ecclesia decoratur, uel dantur ad reuerentiam Dei, ut cera, oleum &c. 57 190.b.

Locus sacer prodest sepulto nō ex opere operato, sed ex opere operāte, in quantum ipse dum uiueret, hoc meruit, uel alij pro eo, ut sancti illius loci, & ministri frequentius & spiritualius orent pro eo.

Sepultura in loco sacro non nocet impio, nisi in quantum eam sibi indignam procurauit, propter humanam gloriam.

Sepulturam non ponit Christus inter opera misericordiæ, sed solum ea quæ sunt euidentioris necessitatis.

DE CONCILIIS ET Consilijs. 170. 188.b.

Concilium est infrà Papam,

Papa

Papa extra Concilium habet pronuntiare.

Omnia Cõcilia à spiritusancto profecta sunt & quicquid in Concilijs conclusum est, authorem habemus spiritumsanctum.

Tanta est Conciliorum authoritas, quod nemini liceat illis aut illorum gestis, contradicere.

Concilium quod uoluntati Papæ in aliquo refragatur, conciliabulum potius appellari debet.

Concilium generale non potest errare.

Consilia Euangelica supra pręcepta sunt, nõ infra.

Falsum est dicere consilijs seruatis, nondum impletum esse præceptum Dei.

Consilium plus est præcepto.

Concilijs plus credendum est, quàm simplici laico scripturam alleganti.

Prima quatuor concilia Euangelio sunt æqualia.

Concilio sine scriptura plus credendum est, quàm laico cum scriptura.

In Concilijs non inuenitur statutum, quod Romanæ ecclesiæ legem ullam Concilia pręfixerint, imò inuenitur, quòd omnia Concilia per Romanæ ecclesiæ authoritatem facta fuerint, roburq; acceperint.

In Conciliorum statutis potenter excipitur Romani Pontificis authoritas.

Nllus

Nullus erit ordo in Christi ecclesia, nulla hierarchia, sed perpetuus horror, & sempiterna confusio, ubi negabitur, non licere Papæ cum suis sibi sumere iudicium in Concilijs.

Ecclesia nullum Concilium uniuersale cognouit pro legittimo, quod à Papa non fuit congregatum, & in quo Papa non egit præsidem.

In octo primis uniuersalibus Concilijs, omnia apostolicæ sedis & Romani Pontificis iudicio, peracta fuerunt, & tam acta, quàm iudicia synodalia prorsus ab unius authoritate atq; iudicio dependerunt.

Figmentum est, & impudens mendacium, imò pura calumnia, quòd quidam dicunt, Pontifices in Concilijs sæpe ~~ex suis traditionibus & consuetudine contra uerbum Dei~~ pronunciasse. Siquidem Christus rogauit pro Petro ecclesiasticæ hierarchiæ capite, ne deficeret fides eius, ad confirmandos hæsitantes fratres in fide.

Summum iudicium in Concilijs, esse penes supremam & sacrosanctam iurisdictionis autoritatem, nempe apostolicę cathedrę, & ecclesiasticę hierarchię pręsidis, primum certum est, ex ipsa forma societatis ecclesiasticę, deinde ex umbra & figura eiusdem in illa synagoga ueteri, in qua omne difficile & ambiguum iudicium, ad pręsidem cathedræ & sacerdotes secum

in eadem ministrantes domino, mandatum est eorum absq; ulla tergiuersatione, exceptione, discussione sequi definitionem & iudicium, inobedientesq; imperio sacerdotis presidis, penes quem erat sacrosancta illa iurisdictionis authoritas, puniri mortis supplicio.

Ex uerbis Christi, Matthæi 18. Dic Ecclesiæ, quidam statuunt, summum in Concilijs iudicium esse penes ecclesiam. Verba Christi intellecta de una qualibet particulari ecclesia, quemadmodum illa Christum intellexisse certũ est; euidenter falsum est quod dicitur, summum in Concilijs iudicium esse penes ecclesiam. Non enim uniuscuiuslibet particularis ecclesiæ, est summum in ecclesia iudicium, supremaq; iurisdictionis authoritas, cum sit ordo inter ecclesias, & inferior subiecta superiorum authoritati & iudicio, donec ad primam supremamque uentum est, quæ secundum formam hierarchiæ ecclesiasticæ de alijs omnibus iudicans, nullius quãm Dei iudicio subiacet. At uerba Christi nullo modo intelligi possunt de uniuersali ecclesia, quę nullam prorsus iurisdictionis authoritatẽ à Christo accepit, nec est idonea ulli correptioni faciendæ, ulli peragendo iudicio, ullis actibus iudiciarijs, quia dispersa in uniuersum orbem multitudo. Nec ualet quod dicunt, uniuersalia Concilia loco uniuersalis ecclesiæ esse, cum nullam talem commissionem uniuersalis

ecclesiæ

ecclesiæ demonstrare possint.

Sancti Patres ab initio quotiescunque conuenerunt ob quæstionem aliquam fidei, semper respexerunt ad unam baptismi Petri Cathedram, non ignorantes ad cuius discussionem definitionemque pertineret omnis fidei quæstio, pro cuius fide, ne quando deficeret, singulariter rogasset Christus, quo remisisset confirmandos, suborta inter nos dubitatione aliqua de fide.

Deus in ueteri testamento uoluit ad sacerdotes pertinere, ut suo iudicio discernerent, & diiudicarent controuersias, quas circa legem suam contigit oriri, atq; ea, quæ ad fidem, religionem, cultumq; diuinum pertinent: igitur iniustè contendunt, qui iudicium rerum ecclesiasticarum iudicant ad reges, principes uniuersaliumq; sæculorum ordines spectare.

Etsi Romani principes nonnunqnam leguntur Concilijs interfuisse, non tamen ut cognitores aut iudices interfuerunt, sed tantum pro seruanda tuendaq; Concilij authoritate, unitate, & concordia.

Cæsares, reges, & principes nunquan interfuerunt Concilijs, nisi prius ab episcopis, petita licentia. Quando autem interfuerunt, non supremum locum occuparunt, uerum infimum locum in sella humiliore.

Sœculares principes licitè interſunt ſynodalibus conuentibus, ſed non tractatibus nec definitionibus in Concilijs.

Rectiſſimè ſentiunt, qui Cæſares & ſœculares principes negant eſſe cognitores & iudices in Concilijs, ſed admittunt eos, ut adminiculatores, fautores, & ſynodalis definitionis adſertores aduerſus hoſtes pietatis & orthodoxę fidei: huiuſmodi ſynodis intereſſe quidem poſſunt ſœculares Principes, ſed non debent.

Chriſtus dixit: "Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi &cęt. & addidit: Omnia quæcunque uobis dixerint, ſeruate & facite, ſecundum opera uerō illorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt." Ex his uerbis apertum eſt, mala opera uitamq; perditam Pontificum & aliorum Clericorum qui præſident Cathedræ, hoc eſt, Concilijs, non tollere debitam erga illos obedientiam.

Vniuerſalis eccleſia nullam habet authoritatem iuriſdictionis in Cōcilijs, nec ullam à Chriſto accepit.

Romani Pontificis authoritas non eſt ſubiecta Concilijs, ſed Concilia Romani Pontificis authoritati.

Omnibus ſynodis uniuerſalibus & ſynodalibus earundem decretis, definitiōibus & ſententijs, ut iuſtis ac pijs authoritatem ac robur impartita eſt ſemper apoſtolicę ſedis authoritas.

Nunquam

Nunquam est factum, quòd synodalis sententia apostolicæ sedis sententiam & iudicium correxerit, sed subscripserit semper, & uelut normam quandam in obliquabilis fidei & iudicij semper fuerit secuta.

Quòd nullus in Pontificem iudicandi ius habeat, ipse uerò cuncta iudicare, uide infra locũ proximè sequentem, de primatu Papæ.

Cum Leo 3. à Paschali Primicerio, & Campulo pręsbytero apud Carolum magnum imperatorem, grauiter & de grauibus criminibus accusaretur, & eiusdem instantia, eam ob causam, totius Gallię, Germanię, & Italiæ Romam conuenisset episcoporum synodus, eaq; considente in beati Petri Basilica, rogasset Imperator episcopos de causa Pontificis, cui accusatores capitale crimen intenderant, uno uelut ore concorditer omnes responderunt, ~~sedem Apostolicam, quod Dei ecclesiarum omnium caput sit, à nemine iudicari debere, quo tam grauis responso deterrito Imperatore~~, reiectisque accusatoribus, omissa est omnis ulterior causę inquisitio. Et uel ex hoc uno facto perspicuum est, Papam cunctos habere iudicandos, & à nemine iudicari debere, nec humano iudicio subiacere.

Quęstionum & controuersiarum, quę suboriuntur circa fidem catholicæ ecclesiæ, ipse Pontifex constitutus est iudex & arbiter.

Pro certo adfirmandum est, summi esse Pontificis conuocare Conciliū, tanquam eius, qui summus est post Christum pastor ouium in rebus pręsertim spiritualibus & ecclesiasticis, quarum præcipuè Concilium est.

In primis dubium non est, Romanum Pontificem, quem meritō maximum eundemque summum uocamus, primum sibi uendicare locum in Concilio, quia sub Ihesu Christo, summo secundum ordinem Melchisedech & in æternum sacerdote, pontificeq; secundum ueritatem maximo, caput sit idemq; princeps totius ecclesiæ, & in hac indubitatus illius Vicarius: proximum deinde locum uendicat sibi Cardinalis Hostiensis ex Priuilegio, quo Romanum Pontificē pręcęteris consecrat. Hunc sequitur in sessione, Patriarcha Constantinopalitanus, hunc Alexandrinus, hunc Antiochenus, hūc Hierosolymitanus. Post hos deinde sedes patriarchales sequūtur aliæ quatuor sedes: Aquileg. Bituricens. Grandensis, & Risangens. Post illos deinde sequuntur alij secundum suæ dignitatis ordinem, ut primo Archiepiscopi, mox Episcopi, deinde Abbates.

Lata sententia in Concilio, hęretici & eorum libri comburendi sunt.

Ry 42 a. In Concilijs illi opinioni magis adhærendū est, quæ magis uidetur concordare cum dictis sanctorum & determinationibus ecclesiæ, si au-

autem de alijs rebus, tunc fauendum est ei, qui melioribus rationibus roboratur.

In Concilijs dicta sanctorum ab ecclesia approbatorum sunt firmiter tenenda, & præcipuè dicta quatuor doctorum usq; ad ultimum iota seruari debent, & defendi usq; ad sanguinis effusionem.

Lex uetus dat pręcepta, euangelium autem persuadet consilia.

Consilia pertinent ad perfectos, pręceptum autem ad perficiendos, sed promissio ad imperfectos, prohibitio uerò ad peruersos.

Præcepta separant nos ab illicitis, sed consilia à concessis.

Per præcepta declinamus peccatum, per cõsilia declinamus occasiones peccandi.

Per præcepta maximè negatiua fugimus pœnam, per cõsilia præmia cumulamus.

Consilium seruatum affert præmium, non seruatum adducit supplicium.

Ad præcepta constringimur ex debito, sed ad consilia non nisi ex uoto.

Consilium per uotum fuit præceptum.

Consilia euangelica quę Christus adiecit pręceptis, hęc recensentur. Primum est paupertatis, quę cõsistit in abdicatione proprietatis. Secundum est obedientia, iuxta illud: Super cathedram Moysis sedebunt scribę & pharisęi, quod

dicunt, facite &c. Tertium est castitatis, iuxta illud: Triplices sunt Eunuchi &c. prædicta consilia tria sunt spiritualia & substantialia omnis perfectæ religionis, quia suos obseruatores elongant à malo, non solum quantum ad culpam, sed etiam quantum ad causam. Quartum consilium est charitas, Mathæi 5. Diligite inimicos uestros &c. Illud quantum ad dilectionē affectus est pręceptū, sed quantum ad dilectionem effectus, est consilium, quia inimico uelle gratiam & gloriam necessitatis est, sed ostendere illi signa beneuolentiæ, hoc perfectionis & consilij est, unde ad hoc non omnes tenentur. Quintū est mansuetudinis, iuxta illud: Si quis te percusserit in unam maxillā, præbe ei & alteram &c. Ad idem pertinet, qui tecū uult iudicio cōtendere &c. Vnde repetere sua coram iudice infirmis & imperfectis licet, perfectis nō. Sextum est misericordię & erogationis, iuxta illud: Omni petēti tribue &c. Septimū est de simplicitate uerborū, ut ibi: sit sermo uester sic sic, non non, &c. Ad hoc consilium reducitur & illud: Non iurabus &c. Octauum est de uitanda occasione peccati, unde dicitur: Si oculus tuus sandalizat te, eijce eum. Nonum est de rectitudine intentionis ac simplicitate finis, unde dicitur: Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus &c. item, nesciat sinistra tua, quod facit dextra, item, sic luceant opera uestra &c.

ſtra &c. Decimum de conformitate operis ad doctrinam, ut ibi allegant onera grauia &cæt. Item: eijce primum trabem ex oculo tuo &c.

Conciliũ ſolus papa conuocare habet, à quo non poteſt appellari ad concilium, ſed è conuerſo.

Præcepta ſunt fines conſiliorum.

Conſilia Chriſti reducuntur ad tria, ad paupertatem, ad continentiam, & ad obedientiã.

Conſilia tria Euangelica ſecundum ſe omnibus expediunt, niſi ex diſpoſitione aliquorum quorum affectus ad hæc non inclinatur.

Obſeruatio conſiliorum Euangelij difficilior eſt, quàm præceptorum, quo ad actus exteriores, quo autem ad interiores perfectè è conuerſo.

Nullus actus perfectionis cadit ſub conſilio qui in aliquo caſu non cadat ſub præcepto.

Genus ſupererogationis duplex eſt, ſcilicet, totaliter excedens neceſſitatem ſalutis & eius de neceſſitate, licet non quo ad hunc modum. Secundum poteſt ſub præceptum cadere Eccleſiæ, uel cuiuſcunq; legislatoris, quo ad determinationem modi, non autem primum, ſed tantũ cadit ſub conſilio.

Conſilium nunquam obligat, niſi per hoc, quod in præceptum trãſit, ex aliquo accidẽti.

Conſilij donum dirigit nos in omnibus ordinatis ad finem uitæ æternæ, ſiue neceſſarijs, id

est, præceptis, siue non, id est, consilijs.

DE PRIMATV, DIGNITATE, & potestate papæ, & prælatorum.

Romanus Pontifex uicarius Christi est, & successor Petri, super omnes totius mundi Ecclesias, à beato Petro constitutus.

In potestate papæ est, non solum morum articulos, sed & fidei constituere.

Papa non potest errare.

Contra papæ decreta nemini licet sentire.

Papa est supra concilium.

Ius conferendi Ecclesiasticā potestatem, stat penes solum papam, & cui papa committit.

Nemo debet admitti ad munus Ecclesiæ, nisi aut à papa, aut eius uicem tenentibus, electus ordinatus & confirmatus fuerit.

In potestate papæ est, cōdere traditiones æquales præceptis Dei.

Papa potest remittere omnes pœnas, quas arbitrio uel suo, uel canonum imposuit.

Papa plenariam remissionem omnium pœnarum remittere potest.

Papa ab omni pœna hominem soluere & saluare potest.

Papa potest remittere animabus in purgatorio

rio omnem culpam, quam debuissent in hac uita secundum canones soluere.

Papa in purgatorio non solum perfectissimis, sed & alijs quibuscũq; omnino omnes pœnas remittere potest.

Potestas papæ sola sufficit ad remissionem pœnarum & casuum.

Papa non tantum habet potestatem remittendi peccata in cõtritis, sed etiam illis, qui perfectam contritionem habent.

Romanus pontifex successor Petri, est uicarius Christi, super omnes totius mundi ecclesias, ab ipso Christo institutus.

In manu papæ prorsus est, statuere articulos fidei, imò leges bonorum morum & operum. 3.

Papa potest remittere pœnam pro peccato debitam per indulgentias.

Papa potest absoluere animas à pœnis in purgatorio.

Dominus noster Iesus Christus relicturus mundũ, per spiritum sanctũ instituit prælatos in Ecclesia, uicarios suos, qui potestatem habẽt regiminis, & capita dicuntur & sunt, Ecclesiæ, ~~qui his temere rebellis fuerit, à Christo & Ecclesia discedit.~~ 4. Mt 43. l.

Præsides Ecclesiæ habent potestatem facien di mandata & constitutiones, ad honorem dei, & fidelium emendationem, quæ & si ~~propria forma in sacris literis non reperiantur, sunt~~ 5.

tamen

tamen obligatoriè in foro conſcientiæ, ut qui hæc contempſerit, Chriſtum contemnat.

Si papa ſit præſcitus & malus, & ſic per conſequens membrum diaboli, habet tamen poteſtatem ſuper fideles.

Non licet alicui diacono uel presbytero prędicare uerbum Dei, abſq; autoritate ſedis apoſtolicæ, ſiue epiſcopi catholici.

Papa eſt proximus & immediatus uicarius Chriſti & Apoſtolorum.

Eſt de neceſſitate ſalutis, credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.

Primatus ſummi pontificis, eſt ſuper alias eccleſias particulares omnes.

Non rectè ſentiunt, qui ſic ſentiunt: Papalis dignitas à Cæſare inoleuit, & Papæ præfectio & inſtitutio à Cæſaris potentia emanauit.

Etiam is Papa gerit uicem Chriſti, & Petri, qui non ſequitur Chriſtum & Petrum in moribus & doctrina.

Cardinales ſunt ueri ſucceſſores Apoſtolorum, & ſi eos non ſequantur in doctrina & uitæ moribus.

Papa & ſi eſt malus & præſcitus, tamen eſt caput Eccleſiæ militantis.

Papa per rectam & legitimam electionem ſecundum humanam conſtitutionem, electus, etſi Chriſto contrariè uiuit, tamen recta uia intrat in ouile ouium.

Chri-

Christus & Apostoli non melius gubernarẽt Ecclesiam, si uiuerent, quàm hodie gubernatur à pontifice.

Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit eius nomine proprie expresso, est uicarius Christi, & successor Petri, habens supremã autoritatem in Ecclesia Dei.

Autoritas iurisdictionis Papæ, archiepiscopi, & episcopi, in soluendo & ligando maior est autoritate simplicis sacerdotis, etiam si curam animarum habeat.

Papa omnibus Christianis contritis & confessis, potest concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca uisitantibus, & ipsis manus suas porrigentibus adiutrices.

Paulus ad Hebręos ca. 13. iubet obedire prælatis: ergo quicquid iubent prelati, acceptandum est.

Item Christus ait Ioan. 10. Oues audiunt uocem pastoris sui: ergo prælati Ecclesiæ quicquid statuunt & præcipiunt, illud oues audire debent.

Papæ sua uoluntas est pro ratione.

Papa omnis iuris fons est.

Papa est super reges & imperatores, & utriusq; gladij maiestate formidabilis urbi & orbi.

Papa non potest errare.

Autoritas papæ maior est, quàm sanctorũ.

Pa-

Papa extra aleam humanorum iudiciorum est, ut qui supra hominis conditionem euolans omni iuri autoritatem tribuit.

Cor regis in manu domini est, ergo & multo magis cor pontificis.

Papa est uelut homo cœlestis, & angelus terrestris.

Papa nec uult, nec potest errare, quia Christi uicem in terra gerit, & est quoque uirtualis Ecclesia.

Quantum ad sanctitatem attinet, Petrus est sanctior pontifice successore, quantũ uerò attinet ad ordinis & iurisdictionis clauem, pontifex non est inferior Petro: imò pontifex de iure potest, quæcunq; potuit Petrus.

Papa duplicem gladium gerit: corporalem, quo interdum hostes Ecclesiæ absterret, spiritualem, quo in sede D. Petri omnia mundi regna territat.

Summus pontifex est de iure Romano & de facto maior, potentiorq; omnibus regibus & imperatoribus terræ.

Iurisdictio papæ extendit se usque ad inferos & in purgatorium usque. Ioannes Angelus Parisiensis palam scribit, animas in purgatorio esse sub iurisdictione papæ, & si uellet papa, posset purgatorium euacuare.

Papa habet potestatem, scripturas interpretandi

tandi pro se, non contra se.

Apostolis maior est papa, quia apostoli errare potuerunt, papa non potest.

Officialis aliquis potentior esse potest suo principe.

Quemadmodum ex capite uigor in uniuersum corpus dimanat, ita ex Papa ceu capite, uel si mauis corde, fluit in Ecclesiam magna uis indulgentiarum.

In corpore singula membra suum pensum soluunt, laborãt, quæ caput præscripsit: in corpore autem mystico, Papa solus membrorum omnium officia exequitur, quia remittit eis omnia opera, quæ facere ex debito pœnitentiæ cogerentur.

Iure diuino monarchia & unus principatus in ecclesia necessarius est, quoq; Romæ esse debet. Iurisdictio papæ longa, lata & ꝓfunda est.

Nec papa, nec potestas eius à nobis nec potest, nec debet iudicari, ne impij os in cœlũ dicamur ponere.

Nemo non infra papam est, potestate & doctrina: ergo nemini etiam uideri debet Papa errare.

Papę perfernarij sunt eius uolũtatis & ratio ab his portatur in rebus omnibus gerendis. Ratio eius non labitur, qui ius omne habet in suo scrinio, neque labitur uoluntas eius, quia Papa hoc omne, quod uult, agere potest.

Pa-

Papa iure diuino super omnes Ecclesias est.

Creare uno die triginta Cardinales, actus est humanus, quia à pontifice homine fieri potest, licet respectiue, neq; bonus est ille actus, nec malus: non bonus, cum non sit de consilio, nec de præcepto Euangelij: nec malus, quia fit à pontifice, qui errare non potest.

Sicut pontifex Romanus summum locũ occupat, & est summus magistratus, ita iuste summum elementum sibi in uindictam hæreticorum elegit.

Papa iure diuino uicarius Christi est, quia Christus ait ad Petrum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam.

Papa immediatus uicarius Christi est, & apostolorum.

Falsum est dicere, epistolas decretales esse apocryphas.

De necessitate salutis est credere, Romanum pontificem esse super omnes alios ministros Ecclesiæ.

Papæ plus credendum est, quàm simplici laico, scripturam alleganti.

Papa iure diuino habet potestatem canonisandi sanctos.

Papa est uniuersalis episcopus super omnes ecclesias, & omnes episcopi à Romano confirmari debent.

Dixit Christus ad Petrũ; Rogaui pro te Petre,

tre, ut non deficiat fides tua: ergo pōtifices Romani semper manebūnt capita orbis terrarū.

Papa potest remittere pœnas, præter eas, quas uel suo, uel canonum arbitrio imponit.

Pœna à papa imposita, uel à canone, pœna est peccato debita, & nonnunquam adæquata peccato debitè, & ut in pluribus non æqua, quia minor: igitur si Papa suam remittit pœnam, etiam pro peccato debitam relaxat.

Quinque sunt pœnæ, in quas Papa potestatem habet: Pœna æterna, purgatoria, castigatoria, canonica & satisfactoria.

Etsi diuus Paulus dicat: Tradidi eum Satanæ in interitum carnis, ut spiritus saluus fiat: tamen pontifex potestatem habet in pœnam castigatoriam.

Papa potest remittere omnem culpam, nec uerum est, quòd semper opus sit declarare & approbare remissam.

Panormitani sententia in consultādo tantū uera est, non in autoritatem prestando, qua dicit, non modò Cōcilium super Papam esse, sed etiam quemlibet fidelem.

Nō fū 1. 1. Ref. 102.

Christus ut pius pater uolēs thesaurizare militanti ecclesiæ, acquisiuit illi thesaurū, nō in sudario repositū, nō in agro absconditū, sed per beatum Petrum cœli clauigerum, eiusq; successores, suos in terris uicarios commisit fidelibus salubriter dispensandū & proprijs & rationali-

bus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, quàm generaliter, quàm specialiter (pro ut cum Deo expedire cognoscerent) uerè pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum. Ad cuius quidem thesauri cumulum dei genetricis, omnium electorum à primo iusto, usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur, de cuius consumptione seu diminutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita merita Christi (ut prædictum est, quàm pro eo, quòd quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.

Vnus est thronus sedis Ro. Pont. & generalis concilij, nec inter se differunt, nisi sicut membra à capite, sunt uerò nullius uirtutis membra si à capite mota fuerint.

Papa seruus est constitutus à Deo super Ecclesiam.

Papa est distributor thesauri Ecclesiæ.

Papa dum est liberalis in concessione indulgentiarũ uelis ac uiuis membris Ecclesiæ, quæ sola earum efficaciam recipere possunt, Christum imitatur.

Romanus Pontifex satisfactiones in Ecclesiæ thesauris repositas, suo iudicio applicare potest ad pœnas luendas criminum eorum, qui tanti feruoris sunt, ut pœnitẽtiam pro suis peccatis

catis condignam agere ualeant. Declaratio sermonum domini nos in hanc lucem deduxit, & intellectum hũc dedit de summo pontifice paruulis. Ista d~~ocuit spiritussanctus pari inspiratione uiros religiosissimos, qui docet omnia, & suggerit omnia, quęcunq; dixit Christus.~~

Fas est Romano Pontifici, non nisi pro honore dei, & sanctæ Ecclesiæ utilitate largiri ueniam, ut eius imperium non dissentiat à uotis sanctorum, qui passi plura fuere, quàm eorum crimina meruerunt.

At quoniam claues regni cœlorum habet papa, potest aperire quibuscunque non ingressis, sed ingredi ualentibus, ut sunt illi, qui purgatorij ignibus alligantur. Quare etiam intulit Christus: Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

Romanus Pontifex nõ debet impediri à structura basilicæ D. Petri, nec improbandum est, quòd altissimum templum erigat, incrustet auro, ornet, &c. Ta~~libus enim muneribus Deo donatis, ungitur Christi corpus, accenduntur que populi ad eius odorem percipiendum.~~

Si sacerdotes Romani essent auarissimi et rapacissimi, plangenda tamen essent tantum illorum crimina, non prædicanda. Vnde & Cæsar Constantius dixisse fertur: Pontificem à nemine iudicari debere, neq; enim à populo, neq; à clericis, neque ab ipso Cæsare.

2 Item Can. Si Papa. Dist. quadragesima. Romani pontificis culpas redarguere, præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse ~~iudicat, à nemine iudicandus, nisi à fide deuius.~~ Bonifacius martyr hæc pro Pontifice scripsit, ergo uera sunt.

3 Germania, quæ uerè ala magna, seu Alamania dicitur, ea à Romanis Pontificibus accepit munera, eos honores, ea præmia, tantæ denique maiestatis dona, quibus princeps atque dominarerum prædicatur. In solam enim Germaniam uisa est sancta Romana Ecclesia quàm affluentissimè larga, benigna, placidissimique uultus &c.

Galli Christianissimi, Hispani catholici &c. canones pontificios ueluti è cœlo demissos suscipiunt, & Romanæ Maiestati se subijciunt: ergo meritò omnes alij populi idem præstare debent.

Gaudet uberius Romana urbs, lætatur, gestitque cumulatius Romana sedes beati Petri, mediam se locatã nostra tempestate à Christo esse, inter duos gladios, catholicum et Christianissimum.

Dicent itaque nunc Petri successores Christo: Ecce domine, duo gladij hic, quibus Romana Ecclesia secura iacebit, quibus uictrix infideles subijciet. Ille inter hos gladios felicior, ille fortunatior, ille gloriosior, qui Romano

Pon-

Pontifici obtemperantiori inuenitur.

Qui contra Romanum Pontificem agit, is Cham iudicandus uerè est, qui patris Noē pudenda nudata impudens fratribus reuelauit.

Pontificis uox est cum Hieremia: Corripere quidem possum, corrigere aūt non ualeo.

Papam successorem Petri, & uicarium Christi semper agnouimus.

Romanus pontifex ex hac ratione summus est. Ratio à uoluntate Dei petitur, quam in ipso facto uidemus, nec enim sine uoluntate dei unquam in hanc monarchiam deuenisset.

Apud omnes theologos ~~uolūtas signi, quam uocant operationem dei, non minus, quàm alia signa uoluntatis Dei, ut præcepta prohibita~~, &c. metuenda est, ideo à schismatis reatu se excusare non possunt, qui huic uoluntati contraueniunt, & sese à Romani Pontificis autoritate subtrahunt.

Si iuxta præceptum Christi, cedere aduersarijs debemus, & qui angustiauerit nos mille passus, eundum est cum illo & alijs duobus millibus, quanto magis, si Romanus pōtifex exegerit in suo principatu, cedendum est, siue id iustè siue iniustè exegerit. Nā incomparabiliter minor res est principatus ipse, quā ut unitas, charitas, & humilitas propter ipsam per nos dissoluatur. Ideo non dubito peccare eos, qui in dissensionem se tradūt, & æternā unitatē propter

hanc temporalem, terrenam excellentiam fugiendam, dissoluunt: ferenda enim omnia sunt quæ peccata nõ sunt, quare & principatus Papæ ferendus est, quia non est peccatum. Quòd si propter peccata nostra nos deus uoluerit premere multis principibus, sicut in Prouerbijs dicit Salomon, nunquid resistendum est flagello dei: Propter peccata (inquit) populi, multi prĩcipes eis. Perinde quando nostrum non est desinire, irata ne, an propitia uoluntate, Deus nobis quoscunque Principes dederit, hoc nostrũ est, uoluntatem eius pio simplicique timore suscipere, quomodo etiã, si sub Turca nos esse uellet, Turcæ subesse libenter deberemus: quanto igitur magis debemus subesse potestati Papæ, quando sic deo placuit:

Potestas Papæ est ordinatio Dei. Apostolus autem dicit: Omnis anima potestati sublimiori subdita sit: ergo Papæ obediendum est, ut ordinationi diuinæ.

Beatus Petrus docet omni humanæ creaturæ obediendum esse, quia sic est uoluntas Dei. At humanam creaturam uocat magistratum, sicut & summus Pontifex magistratus est, unde sine crimine non est, qui sese à potestate Papæ subduxerit.

Consensus omnium fidelium, cognoscit Papam pro suo capite: ergo malè agit, qui unitati fidelium reluctatur. Penes solos Pontifices uera

ra ſcripturæ intelligentia eſt.

Qua omnes inferiores ſumus pontifice, igitur non poſſumus illum iudicare, unde laudabilis ſententia: Inferior non poteſt eſſe ſuperioris iudex.

Chriſtus ipſe Petro æternæ uitæ clauigero, & ſic ſucceſſoribus Pōtificibus Petri, ſimul terreni & cœleſtis imperij iura commiſit.

Summus ſacerdos in ueteri Teſtamento figura fuit Romani pontificis.

Papa quadrageſies ſepties eſt maior regibus teſte gloſa ſuper Decretales.

Non Eccleſiæ conſuetudine, ſed diſpenſationis diuinæ ueritate, epiſcopi maiores presbyteris ſunt.

Chriſtus ait: Super cathedram Moyſi ſedebūt ſcribæ & phariſæi &cæt. Et ſubiungit: Omnia quæcunque uobis dixerint, ſeruate & facite, ſecundum ueró opera illorum nolite facere. Dicunt enim & nō faciunt. Audimus, quid hic precipiat Chriſtus, audimus propter uitam perditam Pontificum & aliorum, qui præſident cathedræ, nihilo minus nobis debere illis obedientiam. Quòd ſi Cham uiſis tantū, nō coopertis uerendis patris ſui maledictionem accepiſſe legitur, quanto potius, qui non uident ſolum, ſed ſcrutantur & produnt.

De primatu & dignitate Papæ & prælatorū, Vide etiam ſupra locum de concilijs.

Sedes apostolica de omni Ecclesia habet ius iudicandi, nec de eius licet iudicare iudicio.

Gratianus citat hæc Bonifacij martyris uerba: Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens, deprehenditur, inutilis & remissus in operibus suis, insuper & à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus hoibus, innumeros qui dem populos cateruatim secum ducit gehennę mancipio, cum ipso plagis multis in æternum uapulaturus, Attamen huius culpas hic redarguere presumit mortaliū nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus.

In causis fidei non licet à summo pontifice appellare, seu eius iudicium declinare.

Papa absq; mendacio & adulatione potest appellari sanctissimus. Et potest adorari cultu duliæ, usque ad oscula pedum, & ita de reliquis honoribus.

Oportet tantum unum esse Papam.

Quando discordant doctores Ecclesiæ, decisio spectat ad Papam.

Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis, sicut rex in regno, sed episcopi suscipiuntur in partem sollicitudinis, quasi iudices singulis ciuitatibus præpositi.

Papa per hoc, quód est episcoporū summus non habet plenitudinem potestatis per respectum ad corpus Christi uerum, sed per respectū ad corpus Christi mysticum.

DE

DE EXCOMMVNI-
catione.

Excommunicationes priuant hominem etiam communibus ſpiritualibus eccleſiæ pręcibus.

Docendi ſunt Chriſtiani, plus timere excommunicationem, quàm diligere.

Excommunicatio plus eſt timenda, quām diligenda.

Excommunicandi ius in manu pręlatorum eſt, non eccleſiæ.

~~Inuitus poteſt aliquis abſolui ab excommunicatione~~, non autem à peccatis.

~~Abſolutio ab excommunicatione, non eſt ſacramentalis.~~

Excommunicatio eſt cenſura à Canone uel iudice eccleſiaſtico prolata, priuans à communione hominum & ſacramentorum. 1. 2.

Omnis hæreticus eſt de iure excommunicatus, & eius fautores & defenſores,

~~Non pro quolibet peccato mortali infligenda eſt excōmunicatio, ſed pro eo, quod aliter corrigi non poteſt.~~ Nō.

Excommunicatio requirit iurisdictionem, ideo nō ſubditus excommunicari non poteſt, ab eo cuius eſt non ſubditus propter defectum iurisdictionis. ~~Excommunicare enim eſt uſus & actus iurisdictionis.~~

Mortuus quoq; potest excommunicari, nõ quidem quantum ad sacramenta, quoniam ab illis per transitum ab ecclesia militante (cuius sunt sacramenta) iam separatus est, sed quantum ad id in quo communicat cum ecclesia, hoc est, quantum ad suffragia generalia ecclesiæ, & quantum ad ecclesiasticam sepulturam. Et hoc patet de hæretico, cuius hæresis primũ post mortem suam deprehensa est, puta in scriptis suis hic derelictis.

Verum est. Nemo potest excommunicari pro crimine alterius, sed si unus participat cum excõmunicato in crimine uel actibus prohibitis, potest excommunicari, sic enim participando peccat, & pro suo peccato excommunicatur.

In censuram excõmunicationis non solũ incurritur per sententiam iudicis, sed quandoq; ipso facto ex dispositione iuris scripti.

Sententia excommunicationis lata ab homine quamuis iniusto, nullatenus contemnenda est.

Multa requiruntur ad iustam excommunicationem, scilicet ut excommunicator habeat iurisdictionem in excommunicandum non ligatam uel impeditam.

Sunt autem certæ personę & certi casus excepti, in quibus sine peccato potest communicari cum excõmunicatis maiore excommunicatione,

catione, ut est, utilitas spiritualis & corporalis, ei consulendo & petendo consilium ab eo debitum & repetendo, uel etiam conueniendo eum coram iudice. Item lex matrimonij etiam excusat. Item filij familiàs, serui & ancillæ rustici seruientis, & generaliter qui ante excommunicationem fuerunt excommunicato astricti, per excommunicationem à debito non absoluuntur.

Excommunicatio habet tria nomina. Vocatur enim excommunicatio, anathema, & separatio.

Excõmunicatio triplex est. Maior quę separat à cõmunione fidelium & perceptione sacramentorũ. Secunda excõmunicatio dicitur minor, & separat à perceptione sacramentorum & non à cõmunione fidelium. Tertium dicitur excõmunicatio minor ab homine, quæ non cõtrahitur à iure, sed infligitur ab homine tantũ, & separat à communione fidelium aliquorum, & non sacramentorum.

Debet uitari excommunicatus, ut caueatur minor excommunicatio, & primo in crimine, secundo in diuinis, ut si intrat in Ecclesiam tempore diuinorum, debet eijci, si non uoluerit exire, debent Clerici cessare, donec exierit, prædicationi tamen interesse potest. Et similiter celebrans, si nondum inceperit Canonem, quo incepto, procedere

cedere debet usque ad sumptionem inclusiue, & postea cessare, ac communionem ac complendas in armario aut loco secreto complere.

Excommunicatio est duplex: maior & minor. Maior separat ā cœtu fidelium. Minor à participatione sacramentorum.

Excommunicatus priuatur usu iurisdictionis, non autem iurisdictione.

Ecclesia potest excommunicare pro damno temporali illato.

In quintuplici casu prohibetur participatio cum excommunicatis, Vnde uersus:

Os, orare, uale, communio, mensa negatur.

Participans cum excommunicatis uel in diuinis, uel ex contemptu contra præceptum ecclesię, peccat mortaliter, in alijs autem ueniali-ter.

DE ABSOLVTIONE, peccatorum remissione, & gratia.

Absolutione sacerdotis remittuntur peccata in confessione, etsi non credat absoluendus.

Absolutionis causa contritio est, non tam uerbum Dei.

Ab solui nemo debet sine sufficiente contritione.

Absolu-

Absolutio fundata est super contritionem: ergo nemo debet absolui, nisi sufficienter fuerit contritus.

Sacerdos quando non serio absoluit, sed ioco, non ualet absolutio, etsi quis se absolutum esse credat.

Absolutio pro dignitate personarum ualet: sic absolutio papę excellentior est absolutione Cardinalis &c.

Absolutio Laicorum non est tanti ponderis, quanti absolutio Clericorum.

Remissio culpę inititur contritioni peccatoris, officio & potestati sacerdotis. Nota

Remissio culpæ incerta est, propter incertitudinem contritionis.

Remissio peccatorum super contritionem ędificari debet.

Non est credenda remissio peccatorum, nisi certa sit contritio.

Absolutio nulla est, quæ fit à sacerdote restricto.

Reseruatio casuum & restrictio impedit absolutionem.

Aristotelis Ethica, optima est gratię amica.

Gratia Dei nonnunquam existit otiosa. Gabriel.

Deus acceptat hominem sine gratia Dei iustificante. Occam.

Gratia etiam non ponenti obicem datur. Sup. 79 b.

Sacræ

Sacræ scripturæ & usui Ecclesiæ repugnat, Deum remittendo culpam, remittere & pœnam, item Deum non commutare pœnam in aliquam pœnam temporalem satisfactoriam, per canones & sacerdotis iniunctionem, in parte uel toto declaratam.

Causę gratię sunt, & gradus ad gratiam, meritorium, congruum & condignum.

Negandum est, quemlibet Sacerdotem, nullo prælato dempto, suo subdito petenti, posse remittere, aut debere, pœnas & culpas, ita quōd prælatus plenarie non absoluens à pœna peccet.

Absolutio non tam fide nititur, quām contritione.

Gratia est qualitas in nobis.

Non potest quilibet absoluere quemlibet in confessione.

Non ordinatus non potest absoluere.

Sacerdos nō debet absoluere, nisi ad aliquid faciendum, ligando.

Sacerdos habet potestatē absoluendi à quolibet peccato, exceptis reseruatis.

1. Solus Papa in sex casibus absoluere potest, scilicet quando aliquis injicit manum uiolentam in Clericum uel religiosum, de illo, qui incendit ecclesiam, & est denunciatus, de illo, qui frangit Ecclesiam, & est denunciatus, de illo, qui in diuinis scienter communicat excommunicatis

nicatis nominaliter à Papa, de illo, qui falsificat sedis apostolicę literas, & de illo qui excommunicatis in crimine communicat.

Consuetudo dat uel aufert potestatem absoluendi, sicut quando in aliquo episcopatu enormia crimina ad terrorem Episcopo reseruantur.

Nullus potest absoluere ab excommunicatione maiori lata à iudice, nisi ipse uel eius superior.

Casus quinq; sunt, in quibus oportet, quod simplex sacerdos mittat absoluendum ad superiorem, scilicet solemnis pœnitentiæ, excommunicatio reseruata, irregularitas, incendium, & consuetudo in aliquo episcopatu.

Culpa tantum remittitur per absolutionem sacerdotis.

Quædam reliquię peccati remanent post absolutionem, scilicet dispositio ad peccatum reatus, licet diminutè.

Peccatum in casu reseruato non potest remitti, nisi accesserit authoritas reseruantis.

Homines possunt implere præcepta Dei sine gratia.

Potestate clauium remittuntur peccata coram ecclesia, non autem coram Deo.

Contritione meremur gratiam.

Per bona opera extra gratiam facta, meremur ex pacto diuino gratiam.

Per

Per attritionem meremur gratiam.

In remissione peccati, deus remittit culpam, Et tamen quia conuenit iustitiæ diuinæ punire peccatum, mutat pœnam æternam in temporalem.

Propter nostras pœnas & satisfactiones remittuntur peccata.

Remissio peccatorum debetur pro nostra pœna, & satisfactionibus nostris.

Iustitiæ Dei conuenit punire peccata: ergo pœnæ stant pro peccatis.

Non peccat homo, qui facit opera præceptorum extra gratiam.

Absolutionis forma apud scholasticos hæc cõmunior est. Passio Domini nostri Iesu Christi, merita beatissimæ uirginis Mariæ, & omnium sanctorum, sint tibi in remissionem peccatorum.

Suspensus ab officio, non potest absoluere,

Fictus non accipit absolutionem.

Potestas absoluendi fundata est in charactere sacerdotali, unde & sacerdos hæreticus, propter impressum illum characterem perpetuo durantem, absoluere alios potest in necessitate,

Laicus non absoluit.

Duæ sunt claues sacerdotis. Altera clauis scientiæ, per quam cognoscit, quis dignus sit absolutione. Altera clauis potestatis seu iurisdictionis, qua profert sententiam.

Non

Nō quilibet ſacerdos poteſt abſoluere, quia id authoritati & rationi contrariatur.

Abſolutio eſt ſacramentum iudiciale.

Inter abſoluendum imponuntur manus abſoluendo, in ſignum reconciliationis.

Quemadmodum ſolus ſacerdos habet poteſtatem in corpus Chriſti, illud cōſecrandi in ſacramento altaris, ſic ſolus ſacerdos habet poteſtatem in ſpirituale corpus Chriſti, hoc eſt, in credentes, abſoluendi eos à ſuis peccatis.

Laicus etiam in neceſſitate mortis, non poteſt abſoluere ſacramentaliter.

Nemo nouit an ſit in gratia Dei, uel extra gratiam.

Item, nemo nouit, an amore, uel odio dei dignus ſit.

Imago Dei nobis concreata, quæ eſt ipſa animæ natura, dicitur gratia.

Gratia largè eſt Dei donum naturæ rei ſuper additum, ſiue conſequatur naturā generaliter, ſiue hanc naturam ſpecialiter, ut ſunt corporis fortitudo, animi uigor, ingenij perſpicacitas, & induſtria, bona memoria, cognitio rerum, etiam naturaliter acquiſita pulchritudo, eloquentia, affabilitas, etiam externarum rerum poſſeſſiones &c.

Gratia eſt forma nobis à deo gratis data ſine meritis præcedentibus, gratum faciens habentem, & eius opus bonū reddens digna uita æterna.

Duplex est gratia. Gratia gratum faciens, & gratia gratis data.

Gratia gratum faciens, quam habens amicus Dei constituitur, & dignus uita æterna. Est enim quædam forma animæ à Deo infusa, qua anima formaliter redditur Deo grata & chara, & qua ordinatur ad uitam æternam possidendam, nisi obicem posuerit uel impedimentum.

In habentibus usum rationis, non sufficit meritum Christi ad remissionem peccatorum, sicut in non habentibus, qui merito redemptoris accipiunt remissionem peccatorum, & non in proprio merito, sed necesse est etiam addere proprium meritum, secundum illud: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata.

Quia gratia gratis data semper præstò est, igitur inexcusabilis est homo, si gratiam gratũ facientem non recipit.

Quamuis liberum arbitrium non potest efficere in homine gratiam, tamen potest se ad gratiam habilitare & præparare, ut habeat.

Gratia non datur ei, qui se ad gratiam non habilitat.

Gratia propriè dicitur donum datum diuinitus ad merendum.

Gratia pœnam æternam in pœnam temporalem transmutat.

Gratia opera nostra meritoria facit.

Quamuis

Quamuis homo nunq̃ sit certus de peccati remissione, tamen propter hoc nõ oportet pœnitentiam exteriorem esse perpetuam.

Sacerdos non absoluit, nisi ad aliquid faciendum ligando.

Hæreticus non absoluit.

In articulo mortis quilibet sacerdos tantũ à quolibet peccato absoluere potest, aliàs non.

Nullus potest se uel parem uel superiorẽ absoluere nec ligare, nisi de ueniali.

Sacerdos potest absoluere eam cum qua peccauit, sed non debet.

Sacerdos simplex potest absoluere ab homicidio, sed non ab irregularitate.

Excommunicatus non potest absolui à peccatis, nisi prius præcedat absolutio ab excommunicatione.

Inuitus potest ab excommunicatione absolui, non autem à peccatis.

Quando homo facit totum quod potest, & totum quod in se est, tunc est necessitas ad habendam gratiam &c.

Causa effectiua principalis gratiæ est Deus, dispositiua insufficienter homo, sufficienter Christus, instrumentaliter sacramenta.

Deus dat gratiam, sed dignis tantum, quos dignos fecit.

Gratia non datur propter merita precedentia, sed sequentia.

DOCTRINA SCHOLASTI DE VOTIS.

Vota fieri debent sub opinione salutis seu iustitiæ querendæ.

Vouere etiam licet contra charitatem.

Nec opus est uota esse libera.

Vota sunt secundum scripturam & patrum scripta bona atq; necessaria.

Votum est indispensabile, respectu circumstantiæ personarum, dispensabile fit authoritate Papæ.

Genus uouendi ex uoto, habet exemplũ ex scriptura.

Facto uoto, parentes nõ habent potestatem extrahendi liberos è cœnobijs.

Vota religionum concordant cum Euangelio Christi, baptismo, fide, & uerbo Dei.

Monachum fieri uoto, est fieri uerum Christianum.

Nulla uota sunt temporalia & mutabilia.

Vota paria sunt baptismo.

Vota & merentur remissionem peccatorũ, & iustificationem, & uitam æternam.

Non in omni uoto ius superioris excipitur.

Vota sunt iuris diuini, maximè illa, quæ in clericatu uouentur.

Non semper uerum est, quod ad omne uotũ requiratur possibilitas, uoluntas spontanea, & consensus.

Quanto

Quanto â castioribus animis proficiscuntur uota, tanto magis Deo placent, quare adulescentum uota præualent uotis seniorum.

Vota sunt pars cultus Dei, & merentur remissionem peccatorum, & iustificationem.

Vota sunt satisfactiones pro peccatis.

Vota sunt obseruationes præceptorum & consiliorum.

Vota sunt perfectio Euangelica.

Votorum pronitas laudanda est, non uituperanda.

Votum quodcunq; siue pro uisitatione terræ sanctæ, Romæ, Compostellæ, aliorumque locorum sanctorum, tum ieiuniorum, orationum, operumq; electorum &c. sub peccato cõscientiæ præstandum est.

Vota prædicta pro uisitatione terræ sanctę &c. præiudicant uotis erga proximum, coniugem, liberos, seruos, dominos &c.

Vota perigrinationum, ieiuniorum, orationum &c. longè præponderant operibus mandatorum Dei.

In uotis quę deo uouentur, licet summo pontifici dispensare, etsi tale uotum sit iuris diuini.

Votum castitatis etiam ante pubertatem emissum tenet ac ligat.

Sicut iuramentum habet comites, ueritatẽ, iudicium & iustitiam, ita & uotum.

Propriè loquendo est uotum de bono supererogationis, ut sunt consilia Christi, & omnia bona opera ad quæ non tenemur, sicut est peregrinatio, ieiunium &c.

Votum est conceptio melioris propositi animi deliberatione firmata &cæt. Hæc definitio est uoti taciti, quod fit Deo per interiorem locutionem.

Votum religionis tantum est pręeminentię, quod omnia alia in ipsum commutari possint.

Opus factum cum uoto magis meritorium est, quãm sine uoto. Nam cum Deus accepret opus propter operantem, tantò magis acceptat opus, quanto est ab homine ad seruitium suum specialius dedicato, sed cęteris paribus homo spiritualius dedicatur ad seruitium Dei per uotum, quãm sine uoto.

Seruitium hominis religiosi est Deo magis acceptum, quàm hominis sœcularis, quia dat totam arborem cum fructu.

Votum dicitur à uoluntate, quasi ã primo mouente rationem ad promittendum.

Vouere est actus latriæ, uel religionis.

Votum est testificatio quædam promissionis spontaneę, quæ debet fieri Deo, de his quæ Dei sunt.

Ad uotum tria requiruntur, deliberatio, propositum, & remissio.

Votum nihil habens necessitatis, per prius dicitur

dicitur uotum, quasi habens complete rationem uoti, non autem uotum habens aliquid necessitatis.

Expedit uouere, quia uotū firmat uoluntatem in bono, nec tamen libertatem diminuit, nec est periculosum de se, sed ex culpa mutantis uoluntatem, sed assimilat beatis. 1 2

~~Omne uotū ritè factum obligat, ideo transgrediens illud, peccat mortaliter.~~

Fractio uoti est quędam infidelitatis species. Et ad fidelitatem pertinet seruare promissa. 3

Omne uotum temporale factum in sœculo soluitur per ingressum religionis, etiam uotū crucis in subsidium terræ sanctæ, quia uotum religionis includit omnia alia uota, ratione perpetuitatis, & obedientiæ.

Qui uouit religionē, uel ire ad terrā sanctam non potest aliū ponere pro se, secus aūt in alijs.

Si quis uouendo prius cogitauit de religione cōmuniter, & post eligit unā, tenetur simpliciter ad religionem, ideo si non potest recipi in religionem à se electam, tenetur aliam querere.

Vir potest uouere peregrinationē & assumere crucē in subsidiū terrę sanctę, sine cōsensu uxoris, non autē è conuerso, ~~quia satis probabile est, ęp uxor debeat uelle continere ad tempus, subueniendo necessitati generalis ecclesię. In fauorem negotij, pro quo crux datur, institutum est, quod uir possit sine consensu uxoris crucem~~

~~Accipere, sicut etiam~~ possit domino ~~suo terreno à quo fructum tenet, absq; uxoris con~~sensu ~~militare~~. Nec tamen omnino adimitur uxori ius suum, quia potest uirum sequi. Nec est simile de uxore ad uirũ, quia cum uir debeat regere uxorem, & non è conuerso, magis debet uxor sequi uirum, quam è conuerso.

Votũ simplex continentiæ dirimit spõsalia.

4. Post uotum uirginitatis non potest aliquis consentire matrimonio sine peccato, siue uotum simplex, siue solenne sit.

5 Qui contrahit matrimonium post uotum simplex, peccat mortaliter, quo consummato tenetur reddere debitum uxori, sed non potest debitum petere, etsi coniunx moriatur, tenetur continere.

Alteruter coniugum ante copulam carnalem, potest altero inuito uouere religionem, & potest eã ingredi, non autem post. Et post uotum professionis, potest alter cõtrahere matrimonium cum alio, non autem prius.

Quando utercq; cõiugum ante copulam carnalem uouet continentiam, manet uinculum coniugij, quia neuter abrenunciat, non autem quando alter coniugum uouet tantum.

Professus in preiudicium cõiugis, cõpellitur redire ad eam, nec tenetur interim deferre tonsuram, nec habitũ religionis, tum propter uitu periũ uxoris, tum propter scandalũ uitandum;

quia

quia uxore mortua, tenetur redire ad religionem.

Si uir expresse consentit in uotum castitatis suæ uxoris, non potest uotum reuocare.

Ea quæ cadunt sub uoto, obligant etiam ex lege naturali, & ex lege diuina, ideo non possunt dispensari.

In uoto continentiæ non est dispensandum propter periculum mortis temporalis, quia bonum continentiæ etiam sine uoto est multo melius, quàm salus corporis. Et per alia remedia prouideri potest.

DE CVLTV DEI, SANctorum, & hominum.

Et humanis traditionibus Deus coli potest.

Cultus internus, ait Thomas, pertinet ad uirtutes theologicas, externus ad iustitiam.

Aequum est, ut sit in Ecclesia cultus similis Leuitico.

Humanæ traditiones, ritus ecclesiastici, & reliquæ obseruationes atque ceremoniæ, pro diuino cultu in toto orbe obseruat Ecclesia.

Latria est cultus soli deo debitus, quanquã ad sanctos abusiuè, hoc est, non propriè deriuetur. Tres sunt species cultus Dei, latria, dulia, & hyperdulia.

1. Latria est summa ueneratio potentialis.

Latria dicitur & seruitus.

Latria est uirtus cardinalis.

Dulia maior est hyperdulia, seruitus quædam reuerentialis, exhibita creaturæ ratione excellentiæ eminentis & singularissimæ. Et dicitur ab hyper, quod est super, quasi excellēs dulia, qualis est reuerentia exhibita uirgini gloriosæ, ut est mater Dei, excellens cherubin & seraphin, & omnes angelicos spiritus.

Adoratur & Christus ut homo, quia ~~tota persona uerbi in~~ humana ~~natura ac~~ diuina subsistens, ~~adoratur tanquam terminus~~, hoc est, obiectum adorationis, nō quia natura hamana est terminus per se.

De cultu sanctis præstando, & eorum imaginibus atq; reliquijs, uide locum de inuocatione, adoratione &c. sanctorum.

Latria est reuerentia & seruitus soli Deo exhibita.

Latria comprehendit quinq;, scilicet fidem, sapientiam, reuerentiam, sacrificium, & orationem.

Dulia debetur creaturæ, in quantum est imago Dei. Vnde dulia est amor, qui debetur sanctis, idcirco de beata uirgine sciendū est, quòd in quantum ipsa est persona sancta, debetur ei dulia, sed in quantum est mater Dei, debetur ei hyperdulia.

Hyperdulia debetur creaturæ excellenti, sicut

cũt est caro Christi, crux Christi &c. Vnde sciendum est, quód ligno ueræ crucis Christi, in quo pependit, debetur hyperdulia, etiamsi non sit figuratum, ut signum crucifixi, quia instrumentum fuit nostræ redemptionis.

Imaginibus eadem debetur reuerentia, quæ debetur illis, quorum sunt imagines.

Cultus Dei consistit in recipiendo diuina, & in tradendo ea alijs.

Cultus diuinus triplex est, secundum triplicem statum, scilicet, ueteris legis, legis nouæ et secundum statum gloriæ.

Cultus Dei dicitur religio, pietas, latria, & seruitium.

DE THEOLOGIA ET Philosophia.

Theologia sine philosophia nihil potest.

Vbi desinit philosophus, ibi incipit theologus.

Aristotelis ethica optima est theologię amica.

Sine Aristotele non fit theologus.

Theologus nõ logicus est mõstrosus hęreticus.

Est & logica fidei, suppositio mediata extra terminum & numerum.

Forma syllogistica tenet in terminis diuinis.

Aristoteles ad theologiam lux est.

Malum esset Ecclesiæ, si Porphyrius non fuisset notus theologis cum suis uniuersalibus.

Non

Non est impium, ad explicationem sacrarũ literarum abdita, Aristotele ceu parente uti.

Spiritussanctus misit ancillas suas, hoc est, rationalem philosophiam, Physicen, & Ethicen, ut seruirent ueræ explicationi scripturæ sacrę.

Paulus poëtas testes adduxit, item alij sancti Patres: ergo non solum philosophia, sed etiam poëtica facit ad explicationem sacrarum literarum.

Theologia uno modo idem est, quod fides infusa. Alio modo includit theologia fidem acquisitam, & aliquos habitus adhæsiuos euidentes, tam propositionum, quàm conclusionum.

Platonici & sunt theologi, & philosophi.

Theologia quando non innititur fidei, est scientia.

Theologia mystica & speculatiua differunt: speculatiua est in potentia effectiua, cuius obiectum est uerum: mystica reponitur in potẽtia affectiua, cui pro obiecto bonum assignamus.

In hoc conueniunt theologia mystica & speculatiua, quia utraq; est in superiori parte animæ, & non in solo sensu, uel imaginatione, nec in ratione sola.

Verba Apostolorum & Prophetarum non possunt intelligi sine affectu seu mente scriptorum interpretantium ea.

Theologiam mysticam quilibet fidelis habere potest, speculatiuam non itidem.

The

Theologia magis est dicenda practica, quam speculatiua.

Contemplatiua theologia dicitur, quando elicit actum contemplationis.

Differunt quoq; theologia, & theurgia. Theologia arctatur ad uetus Testamentum: Theurgia ad nouum.

Theologia est scientia acquisita per studia, & laborem, & per motum intellectus.

Theologia est scientia practica, magis tamẽ speculatiua.

Theologia est scientia argumentatiua. Et maximè proprium eius est arguere ex autoritate sacræ scripturæ, propriè & ex necessitate: aliorum uerò sanctorum probabiliter, philosophorum autem quasi extraneè, rationibus uerò naturalis rationis ad aliquam manifestationem.

Ens diuinum reuelabile est subiectum theologiæ.

Finis theologiæ ultimus est contemplatio primæ ueritatis in patria.

DE PAVPERTATE EVangelica, statu perfectionis, seu de religione.

Paupertas Euangelica est, non habere propria &c.

Eu-

Euangelica paupertas est, abdicare se à mundo, ingredi cœnobium &c.

Paupertas Euãgelica est opus supererogatiuum. Promissiones paupertati Euangelicæ factæ, sequuntur eam ex opere operato.

Religiones sunt uitę cõsiliorũ ultra pręcepta.

Religiones sunt status perfectionis.

Religiones sunt supra cõmunem uitam Christianorum.

Vita monastica per se sanctum reddit.

Paupertas Euangelica etsi ab hominibus exigatur iure diuino, tamen uoueri debet.

Consentaneum est, & scripturę, & patribus, instituere genus uitæ ad mendicandum.

Monachatus ex Deo est.

Euangelica perfectio consistit in deserendis ciuilibus officijs.

Vita spiritualis & perfecta, non tam in alijs rebus consistit, quàm in obseruatione feriarũ, rituum, ieiuniorum, uestitus &c.

Vita monastica meretur coram deo iustitiam, & uitam æternam.

Vita monastica non modo seruat præcepta Dei, sed etiam consilia Euangelica.

Vita monastica longè est melior professio, quàm baptismus.

Monastica est uitæ genus institutum ad promerendam remissionem peccatorum.

Vita monastica est status perfectionis, ad uitam

tam æternam utilis, cum quo nullum uitæ genus conferendum est.

Vita monastica ideo status perfectionis est, quia in illo nō solum religiosi seruant præcepta Dei, sed etiam consilia Euangelica.

Vita monastica uerè est status perfectionis, quia meretur remissionem peccatorum, iustitiam coram deo, quia est perfectio Christiana, quia seruat consilia & præcepta, quia habet opera supererogationis.

Perfectio Christiana est, non tenere proprium.

Opera in monachatu, non tantum sunt cultus Dei iustificantes, sed sunt perfectiores cultus, hoc est magis merentes remissionem peccatorum, & iustificationem, quām alia uitæ genera.

Obseruationes monasticæ sunt opera consiliorum Euangelij.

Monastica uita, debita obseruatione custodita, quam per gratiam Dei, quilibet monastici custodire possunt, meretur uitam æternam, & quidem multo auctiorem Christus eis promisit, qui reliquerint domum, aut fratres, aut sorores &c.

Modestè loquuntur de monastica, qui sic loquuntur: Monastica uita non est perfectio, sed est status acquirendæ perfectionis.

Ab

Abdicatio proprietatis omnium rerum propter deum, meritoria & sancta uia est ad perfectionem.

Fit mentio Nazareorum uouentium in scriptura: ergo uota monastica sunt iuris diuini.

Rechabitæ, Ierem. 35. nec possessiones habebant, nec bibebant uinum: ergo monastica uita est iuris diuini.

Vota monastica, obseruationes ciborum, lectionum, cantuum, uestitus, calceorum, cingulorum, cultus sunt utiles coram Deo ad iustitiam &c.

Euangelium præcipit & consulit discedere à facultatibus, & res in commune conferre.

Si aliquis ingreditur religionem priuatã qualemcunq; tam possessionatorum, quãm mendicantium, redditur aptior & habilior ad obseruationem mandatorum Dei.

Mendicitas religiosorum est uera Euangelica paupertas.

Soli in statu perfectionis sunt, qui mũdo abdicant uitam, & ingrediuntur monasteria.

Præcepta decalogi nemo seruare potest, nisi qui est in statu perfectionis.

Ordo prædicatorum est ordo apostolicus, in cuius pectore, tradente S. Rom. Eccl. ut plurimum residet autoritas tutandæ fidei catholicæ &c.

Substantia omnis perfectæ religionis, consistit

sistit in his tribus consilijs, in consilio paupertatis, quæ est abdicatio proprietatis, in consilio obedientiæ, & in consilio castitatis. Hæc cõsilia suos obseruatores elongant à malo, nõ solum quantum ad culpam, sed etiã quantum ad causam &c.

Votum religionis pręcellit omnia alia.

Deus cum acceptet opus propter operantẽ, tanto magis acceptet opus ab homine ad seruitium suum specialius dedicato, sic seruitium religiosi magis acceptat Deus, quàm seruitiũ hominis secularis, quia dat totam arborem cum fructu &c.

Paupertas confert septem bona: peccatorũ recognitionem, uirtutum cõseruationem, cordis quietem, desiderij impletionem, spiritualium bonorum dulcedinem, meritorum exultationem, & cœlestem hæreditatem.

Perfectio est quintuplex, seu quinque sunt genera perfectionis. Prima perfectio sufficientiæ est, quæ consistit in adimpletione mandatorum. Secunda est perfectio religionis, quæ consistit in obseruantia consiliorum. Tertia est perfectio prælationis, quæ consistit in religione subditorum. Quarta est perfectio operationis, quæ consistit in ostensione exemplorum. Quinta est perfectio tranquillitatis, quę consistit in consummatione rerum difficilimarum & optimarum.

Status prælatorum perfectior est, quàm aliorum, quoniam quilibet talis est in statu hierarchico.

Religio est, qua se anima uni Deo, unde se peccato subreparat, reconciliatione ligat, uel est studium sapientiæ, uel est status, per quem uni soli Deo religamus animas nostras ad cultum diuinum animo seruiendi.

Religiosus nõ solũ dicitur, qui profitetur regulam aliquam, sed omnis qui alicui prælato secundum ecclesiæ ordinationem se subdiderũt, imò eadem ratione, quicũq; statũ aliquẽ à Christo aut ab Ecclesia approbatũ propter deũ suscipiunt. Regula religiosorum est, uiuere in obedientia, castitate, & paupertate.

Summa religionis regula in hoc dependet, ut prælati custodiant suos subditos, subditi prælatis benignè obediant, deuoti sint senes, iuuenes laboriosi, sit honestas in habitu, mediocritas in uictu, sint assiduò in claustro, & ad iniuriam quoque rari, non sint ciuiles, sed claustrales &c.

Est modus mendicandi supererogatiuus iustitiæ, scilicet cum quis mendicat pro Christo uenerãdo & pximo ẹdificãdo, per imitationẽ, & cultus exhibitionem, per imitationẽ, quantum ad contemptum sui, & uilificationem.

Laudabilis est illa mendicatio uoluntaria, qua se quis exponit, ut redemptori suo Christo

sto conformet, & cultui diuino mente liberiore, aut euangelizationi uacet, deposita seculi solicitudine, & proximum ędificet atq; prouocet ad pietatem. Ex his autem patet, quæ mendicatio laudabilis, licita, & meritoria quoque sit &c.

Tanta est uis religionis, quòd ingressus in religionem, soluat matrimonium.

Qui ingreditur religionem, moritur seculo, & uiuit Deo. Non tamen potest intelligi mortuus huic seculo ante professionem, sed post.

Paupertas spiritus includit duo: Abdicationem rerum temporalium, & contritionem superbiæ.

Paupertas meretur regnum & diuitias spirituales.

Religio est alia uirtus à pietate.

Religio est in uoluntate, ideo ordinat actus aliarum potentiarum ad dei reuerentiam.

Religio habet duos actus, scilicet elicitos, ut sacrificare, adorare, & huiusmodi, & imperatos, scilicet actus aliarum uirtutum.

Religio nominatur status perfectionis.

Religio est status pœnitentiæ, exercitium & schola perfectionis.

Status religionis præfertur eleemosynis & uirginitati secularium, quia uiuentes in monasteriis, ad hoc, quòd inhęreant deo, posti ponũt propriã uolũtatem, & omnia, quę possunt ha-

bere, sed uirgines ad hoc postponunt uenereas cupiditates & uoluptates, & ideo uirginitas secularis non est simpliciter maxima uirtutum.

Status religionis potest considerari triplici-ter, scilicet, ut exercitium tendendi ad perfecti onem charitatis, ut quietans, & holocaustum.

Status religionis est securior statu prælatorum, quia ignorantia non imputatur religiosis sicut prælatis.

Difficilius seruantur præcepta dei in seculo quàm in religione.

In primitiua Ecclesia omnium Christianorum erat perfectissimus perfectionis status, ad cuius uitæ exemplar omnes religiones institutæ fuerunt.

Habere aliquid proprium, repugnat perfectioni religionis, non autem habere aliquid in communi.

In ingressu religionis accipitur tanta gratia, quãta in baptismo, & remittitur omnis pœna, sed hoc non est, quia talis ex se à satisfactione absoluatur, sed quia eo ipso, quòd uolũtatem suam etiam in seruitutem redigit propter deũ, plenariè iam pro omni peccato satisfecit, quã chariorem habet omnibus rebus mundi, de quibus tantum potest dare, quantum si eleemosynis omnia peccata sua redimeret, etiam quantum ad pœnam.

Consiliũ uel magna deliberatio non requiritur

tur ad ingressum religiōis secundū se, nec quo aduires, sed quo ad impedimenta uel modos religionis, per doctrinam maiorum &c.

Habens uotum uel iuramentum minoris religionis, ritè inducitur ad maiorem, nō autem è conuerso, nisi dispensetur.

Inducens alios ad religionem, non modo nō peccat, sed etiam meretur magnum prēmium, modo id faciat absq; uiolētia, simonia, & mendacio.

Licet nutrire pauperes ad religionem, & allicere munusculis.

Puer ante puberbatem potest recipi in religione, de consensu parentum, sed post etiam inuitis parentibus.

Peccatores sunt maximè attrahendi ad religionem, ut pro peccatis præteritis pœnitentiam agant, & futura caueant.

Religio solitariorum est perfectior, quàm socialis, sed est periculosissima imperfectis.

Religiosi sunt similes episcopis.

Homo tunc est perfectus, quàdo est paratus ad omne bonum necessarium & supererogationis.

Non omnes tenentur ad perfectionem, sufficit enim prædicatori intentio.

Monachus comedens carnes contra præceptum prēlati, uel ex contemptu regulæ sui ordinis, peccat mortaliter.

DOCTRINA SCHOLAST.
DE MARTYRIO.

Martyrium est actus perfectionis.

Martyrium est actus perfectionis, non quidem secundum se, sed secundum suam causam, quæ charitas est perfectionis uinculum.

Martyrium propriè dicitur respectu pœnæ seu adflictionis.

Martyrem pœna seu adflictio facit.

Martyrium ex opere operato meretur iustitiam & uitam æternam.

Martyrium pro dignitate et grauitate, diuersa habet præmia, & coronas diuersas.

Tria requiruntur ad perfectum martyriũ: Pœna mortis, sicut in Laurentio & Stephano: patiendi uoluntas, & sic innocentes propriè nõ dicuntur martyres: & causa.

Prima aureola debetur martyribus, quia excellentissimum opus est perpessio mortis.

Martyres quia uincunt mundum, igitur merito eis debetur aureola.

Martyrium est maximè actus perfectionis, non quidem secundum se, sed ut imperatur à charitate, & ut eam ostendit.

Martyrium est præceptum, secundum præparationem animi tantum.

Vniuersalis absolutio à pœna & à culpa contingit martyrio.

DE

DE MERITO.

Meritum passionis Christi, est thesaurus Ecclesiæ, ex quo dantur indulgentiæ.

Meritis sanctorum nos adiuuari, piè credendum est.

Christus nõ solum nobis, sed & sibi meruit.

Meritorum magna est diuersitas, & habent inter se merita magnam prerogatiuam, & disparia præmia in uita æterna.

Optimè meriti sunt de Ecclesia, qui meritum congrui & cõdigni inuenerunt ad gratiam obtinendam.

Meritum cõgruũ, & condignum, media sunt & scalæ, quibus transitur ad gratiam.

Opera nostra meritoria sunt, non solum harum aut illarum rerum, sed etiam iustitiæ, uitę æternæ &c.

Merita nostra honorem & meritum Christi commendant atq; eleuant.

Homo post habitũ illum, seu primam gratiam, quã meruit nobis Christus, ut facilius seruemus præcepta Dei, de condigno meretur.

Si per misericordiã saluandi sumus, nihil interest inter hos, quibus contingit salus, et quibus nõ cõtingit: igitur necessitas postulat, meritũ condigni querere, siquidem necesse est, discrimen esse inter saluandos & damnandos.

Homines nõ solum legi satisfacere possunt,

ſed etiam amplius facere. Et quia monachi amplius faciunt, ſuperſunt eis merita. Et quoniã liberalitas eſt, largiri alijs, de eo quod ſupereſt, licet donare illa merita alijs. Magnum eſt huius donationis ſacramentum.

Induere mortuis cucullum, ſignum ſeu teſtimonium eſt, applicata eſſe aliena merita.

Contritione meremur gratiam.

Licet merita ſuperflua alijs uendere.

Meritis ac uotis ſanctorum & iuſtificimus, & ſalui &c.

Merita non ſunt uniformia, ſed habent certos ſuos gradus.

Vnus poteſt alteri mereri bonam inclinationem ad primam gratiam, ſed non primam gratiam per ſe.

Quando facimus, quod in nobis eſt, meremur formaliter primam gratiam de congruo.

Opera ſanctorum meritoria ſunt uitæ æternæ, iuxta illud Matthęi cap. 5. Beati eſtis, quum homines maledixerint uobis &c. Gaudete et exultate. Ecce enim, merces ueſtra copioſa eſt in cœlis &c.

Deus iuſtus iudex, nullum bonum irremuneratum relinquit, nec malum impunitum: ergo Deus remunerat propter merita.

In habentibus uſum rationis neceſſe eſt etiã addere meritum proprium, ſecundum illud: Si uis ad uitam ingredi, ſerua mãdata, Et ſicut pru

dentiã

dentia est auriga uirtuosorum actuum, ita fides actuum meritoriorum.

Meritum non cõmensuratur labori, sed perfectioni charitatis & incensioni actus.

Iustificatus per pœnitentiam potest mereri augmentum glorię per bona opera quæ fecit, dum erat in peccato.

Nemo potest alteri mereri primam gratiam, sed merito congrui potest quis alteri mereri.

Quõd beata uirgo meruit portare Christũ, debet intelligi de merito condigni.

Item mali dicuntur mereri temporalia, quia nullum malum irremuneratum.

Peccator aliquando meretur occasionaliter per alios.

Fœlix culpa quę meruit Christum habere redemptorem.

Sufficiens est habiliatio ad gratiam, si homo facit quod in se est.

Omne meritum uel demeritum acquiritur in hac uita. Item non bonum facere, sed bene facere, laudabile est, non enim uerbis, sed aduerbijs meremur.

Opera meritoria totaliter sunt à gratia, & totaliter sunt à libero arbitrio.

Ex parte hominis tria in merito eius attenduntur, subiectum, hoc est, anima, liberum arbitriũ, & intentio siue finis. His tribus respon-

dent tria ex parte Dei, gratia, uirtus, & charitas. Gratia redditur subiectum Deo gratum, uirtus habilitat liberum arbitrium, charitas intentionem dirigit ad finem debitum.

Meritum consistit penes liberum arbitrium occasionaliter, sed non sufficit ad meritum.

Penes gratiam est meritum efficaciter, quia sine gratia nullus motus meritorius.

Tota uis merendi uitam æternam, consistit in charitate, non tamen totus effectus, quia merendi effectus consistit etiam penes magnitudinem operis.

De præmio substantiali meretur homo tantum uno opere, quantum per mille manente radice eadem, & non crescente.

Meritum est actio, qua iustum est, ut agenti aliquid detur.

Meritum est operatio aliqua liberè à uoluntate elicita ad præmij retributionem illi uel alteri accepta.

Meritum nostrum totum consistit in iustitia & operatione secundum iustitiam, & per consequens in operatione secundum uirtutem erga Deum & proximum.

Anima informata gratia per actum à uoluntate simul & gratia elicitum, de condigno meretur æternæ beatitudinis præmium.

Difficultas operis multum facit ad meritum, & in tantum, ut homo qui est multo minoris cha-

charitatis, quàm angelus, possit mereri, ut perueniat ad sublimitatem angelicam.

Ad meritum tria requiruntur, status uiç, dominium operis, & charitas.

Meritum importat æqualitatem iustitiæ.

Meritum est actio, qua iustum est, ut agenti aliquid detur.

Timor pœnæ æternæ est meritorius per se, ut est in uoluntate, per accidens autem ut est passio.

Gratia est principium merendi remotũ, charitas uerò est principium merendi proximum.

Existens in gratia, meretur ex condigno uitam ęternam ratione gratiæ, sed tantum ex cõgruo ratione liberi arbitrij.

Homo quolibet actu meritorio, meretur augmentum gratiæ, sed non statim augetur.

Aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiæ.

Singulæ uirtutes merentur singula præmia.

Meritum uitę ęternæ, primo pertinet ad charitatem, secundo ad alias uirtutes.

Quilibet actus charitatis meretur uitam æternam.

Vnus potest pro alio mereri, quantum ad dimissionem pœnæ.

Nobilius est aliquid habere ex merito, quàm sine merito.

Meritum

Meritum condigni innititur iustitiæ, meritũ congrui soli misericordiæ.

Meritum propriè dicitur respectu æternorum bonorum.

Quanto est magis arduum opus, tanto est magis meritorium ratione bonitatis, non quidem ratione difficultatis, nisi per accidens maioris conatus & attentionis.

Meritum martyris etiam minimi est maius secundum genus operis, merito cuiuscunq; cõfessoris, non autem essentialiter.

Meritum est ęquale præmium uitæ ęternæ, ęqualitate quantitatis, imò æqualitate proportionis.

Quantitas meriti potest attendi ex duobus, ex difficultate & bonitate operis, & ex uoluntate & charitate operantis.

Labor maior est magis meritorius, quàm labor minor, tripliciter: ratione maioris charitatis, ratione nobilioris operis, & ratione magis difficilis operis.

Actus intensior paruæ charitatis est magis meritorius pręmij accidentalis, quàm actus remissus magnæ charitatis.

Qui ex charitate pro alio meretur, saltem merito congrui, magis sibi meretur.

Meritum est causa præmij.

Pręmium duplex respondet merito, scilicet delectatio & gloria.

Præmium

Premium accidentale dicitur ad quod directē merita non ordinantur, sed superadditur ex liberalitate retribuentis.

Potest sibi aliquis mereri perseuerantiā gloriæ, non autem uiæ.

Homo ex solo libero arbitrio mereri potest. Etiam illi qui sunt in purgatorio merētur.

Patres ueteris testamenti meruerunt sibi introitum paradisi, quo ad personam, non quo ad naturam.

Post mortem potest quis mereri præmium accidentale, & remissionē culpę uenialis, quam diu est aliquo modo uiator in purgatorio, non autem præmium essentiale.

Meritum est boni operis efficacia, ad obtinendum id, quod non habetur, uel ad habendū iustius, quod habetur, unde per meritum non debito fit debitum, & ipsum debitum fit magis debitum, sic rex dat equum, quem miles nondum meruit, sed usu equi meretur eundem equum iam datum.

Meritum est triplex, congrui, digni & condigni.

Meritum congrui, est per quod disponitur subiectum, ut possit recipere gratiam secundū rationē diuinę iustitię, istud uocatur dispositio materię, quando quis facit quod in se est.

Meritum digni est idoneitas operantis, ad assequendum id, quod meretur.

SCHO-

SCHOLASTICA DOctrina.

1. Doctrina Diui Thomæ Aquinatis angelica est.

Doctrina Diui Thomæ confirmata est, quia Christus ad Thomam per imaginem crucifixi miraculosè dixit: Bene scripsisti de me Thoma, Quam ergo mercedē accipies pro labore tuo? Qui respondit: Domine, Nisi teipsum. Huius admirandæ confirmationis testis est omnis ciuitas Parthenopea, quæ præfatam imaginem summo ueneratur studio.

Eiusdem doctrina approbata quoq; est à beatissima Virgine Maria, eidem apparente & dicente, doctrinam Thomæ filio suo esse acceptam. Testante hac fida narratione gestorum S. Thomæ.

Item D. Thomæ doctrina approbata est à sanctis apostolis Petro & Paulo, eidem apparentibus ac plurima reuelantibus.

Sanctus Thomas egregiè exposuit sacras literas per Aristotilem.

Nemo adhuc qui Thomam secutus est, unq̃ in hæresim uel errorem incidit.

Dogma Diui Thomæ semper tutissimum inuenitur, nunq̃ enim declinat ā sententia quatuor doctorum ecclesiæ.

2. Diuus Bonauentura, eruditus, facilis, innocens,

cens, & paripateticus ubiq; inuenitur. doctor devotus

3 Albertus Magnus omnia siue humanitatis, siue diuinitatis didicit.

4 Ioannes Scotus acutus, uersatili ingenio preditus, ingenuè disputans, patrum ac liberalium artium studia ueneratur. doctor subtilis.

5 Durandus ardens, cordatus, profundus, qui aut propria honestè tutatur, aut comiter dissidentes doctores reconciliat. doctor illuminatus

6 Petrus de palude, maturus legum memoria, dilucidus peripatetica disciplina, distinctus Thomistica eruditione, noua molitur scribere temperatus, suauis, & placidus comprobatur.

7 Ioannes Capreoli Tholosanus, in quo intellectus Thomisticæ sapientiæ residet, securus satis superq; est, amplus, solers, acutus & grauis, à rectè sentientibus iudicatur.

8 Thomas Caietanus uiuacis ingenij, catholicus semper & perspicax, nubilo nonnunquam scribendi genere spectatus, neq; barbarus, neq; angelici doctoris interpres habetur. doctor profundissimus

9 Sylueſter non ambiguus sparsa colligit, laboriosus, fidelis, partitur unita, dissoluit nodos, secernit abdita.

FRANCOFORTI, APVD CHRIstianum Egenolphum, Mense Maio.

M. D. XLI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE
RER. XIANA
& MEMORIA
ET
DOCTRINA
SCHOLAST.

Th
970

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN